



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

ANIMADVERSIONES ANNAEANAE GRAMMATICAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE II MENSIS MAI A. MDCCCLXXVIIII HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

HERMANNVS KLAMMER

HAMBVRGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

IVO BRVNS DR. PHIL.
PETER CORSSEN STVD. PHIL.
EDVARD SCHWARTZ STVD. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

1878.

FRANCISCO · BVECHELERO

HERMANNO · VSENERO

S.

Ut componant singulas notiones et tota enuntiata, tres adhibent Romani particulas *et*, *que*, *ac* vel *atque*. Discrimen quod inter eas intercedat et qui proprie cuique sit usus, qui indicare volet, ita fere dicet: per *et* enumerari verba vel sententias interiore ratione neglecta, per *ac* (*atque*) nova adiungi vel quae cum gravitate quadam pronuntientur, per *que* comprehendi quae arte cohaereant. Sed ut fere verborum, quae in frequenti usu sunt, genuina et prima significatio deflectitur et paululum commutatur, sic illae quoque particulae paulatim cum cura distingui desierunt et soli coniungendi muneri inservientes invicem sedes commutarunt. Ventum igitur procedente tempore eo est, ut qua particula uti vellet, haud raro in scriptoris arbitrio positum esset. Velut abhorrent a priorum temporum severitate quae apud Tacitum saepissime leguntur complura eiusdem iuris verba variis modis copulata. Ita *et ideo* et *ideoque* in Senecae libris promiscue adhibita sunt, quorum prius Quintiliani institutiones legenti rarissime occurret. Similique modo vitat Curtius Rufus *et* et *ac* particulam cum *iam* coniunctam. Quare quam vario dicendi genere utantur scriptores, vel ex levissimarum harum particularum usu et frequentia intellegitur. Non magnopere discrepat in Curtii historia numero *et* ab *que*, at rursus longe hoc frequentius est quam *ac* et *atque*. Videbis enim, si rem ad calculos revocaveris, in primis duobus libris *et* positum circiter 470 locis, *que* 350, *ac* 50, *atque* 25. Seneca autem qui minus perpolitis verbis quam gravibus sententiis animos movet, leviore vinculo orationis membra conectere solet. In epistulis quidem *et* ita praeva-

lere, ut longo spatio antecedat reliquas particulas, *que* et *atque (ac)* fere aequa esse numeri doceant hi: *et* 3500, *que* 550, *ac* 350, *atque* 100. Quod idem dicendum erit de libris beneficiorum, quibus ex dissoluto et conciso stili genere maxima cum epistulis similitudo est. In dialogis vero *que* cum fere exaequet usum *et* particulae, longe tamen superat cum *ac* tum eam formam, qua nimis Seneca abstinuit *atque*. Ita in dialogo qui est de tranquillitate animi, *et* circa 300 locis invenitur, *que* 110, *ac* 14, *atque* 5. Quintiliani porro usum partim cum Annaeano consentientem partim dissentientem ostendant numeri qui adparuerunt mihi excutienti libros X et XI: *et* 1000, *que* 250, *ac* 110, *atque* 100, quae particularum *que* et *ac (atque)* aequabilitas exiguum quidem, non tamen contemnendum limati atque elaborati sermonis documentum iure habebitur.

Salebrosum ingredietur iter is qui data opera inquiret in usum harum particularum, minuta enim quaestio est atque spinosa, quae quo maiore industria suscipitur, eo magis verendum est, ne frustra in fine nobis videatur et sine solido fructu pertractata. Tamen his particulis quomodo singuli scriptores usi sint, priusquam accurate investigatum atque propositum sit, non potest sperari perfecta linguae latinae historia, cui rei si quid examinato Senecae usu contulisse iudicabimur quamvis pusillum, satis erimus contenti.

Eo ordine procedet haec disputatio, ut paucis praemissis de natura litterarum, quibus anteponatur *ac*, secundum verborum genera totam materiam digeramus. Hic quaedam exemplorum genera eo consilio perlustrabimus, ut interiorem qua verba concilientur rationem aperiamus. Ordiemur ergo a verbis, sequentur nomina substantiva, tum adiectiva, deinde pronomina, praepositiones, adverbia, denique coniunctiones. Quam ubi absolverimus partem, pauca alia adicientur imprimis de ratione copulandi ubi desideretur disiunctio deque usu *que* particulae in eiusdem notionis repetitione.

I.

Notum est *ac* non poni ante litteras vocales et *h*. Cui legi ut Senecam quoque se adplicasse dicamus, duo corrigendi nobis sunt loci. Litteris autem consonantibus non aeque favere particulam ex hac tabula, in qua ea littera cui saepissime sese adiungit *ac*, primum locum tenet, manifestum erit: *s p d m l v f r t n b i q c*. Negari quidem non potest variam hanc exemplorum frequentiam pendere quodammodo ex maiore vel minore eorum copia verborum quae a singulis litteris incipiant. At quod conligari sese cum litteris gutturalibus *q* et *g* aegre patitur[1]) — nam semel tantum ante *q*, nusquam ante *g* legitur — non sola talium verborum raritate explicatur; tum ante *c* litteram, qua fere nulla alia saepius ab initio verborum posita est, uno excepto loco non invenitur. Quippe molestia et duritia soni prohibiti Romani videntur, quominus has litteras committerent. Contra uno alterove exemplo movemur, ut facilitate quadam putemus et suavitate hanc vel illam litteram praeferri a scriptoribus. Hinc ante *s* et *d* et magis etiam ante *l* Senecam *ac* posuisse suspicor. Hinc etiam causam repeto, cur Curtius saepius quam ante ceteras litteras ante *n* adhibuerit *ac*. Atque perrara initio verborum haec littera. Obicies inter 26 hos locos ter ante coniunctionem *ne*, terdecies ante *ne-quidem* positum esse *ac*, non propter naturam harum litterarum familiariter inter se convenientium sed quo significantius *ac* particula nova res praecedentibus subiungatur. Attamen valet quod ad Ciceronis in Caecilium divinationem 20, 67 observavit Zumptius, *ac* propensum esse ad liquidas.

Denique *atque* forma amplior cuius multo crebrior est usus ante vocales quam consonantes, aeque fugit gutturalium concursum nec umquam ante *g* et *q*, perraro ante *c* legitur.

---

[1]) cf. M. Hauptii opusc. I. 107 sqq.

Iam ad singulos locos indicandos transeamus. Ante gutturales habes *ac* n. q. VI 7, 3 *leniter ac quiete fluunt*, et n. q. I pr. 11 *si* (sc. animus) *expeditus levisque ac contentus modico emicuit.* Alterum particulae *ac* ante *c* positae exemplum fertur quidem in editionibus, ferendum tamen non est, cum codicis auctoritate non adiuvetur, di. VIII 3, 1 *utinam quidem iam tellerentur omnia et inoperta ac confessa veritas esset.* Ea quae praecedunt sordibus purgaverunt Madvigius et Gertzius, in his adquieverunt. Sed adiectivum *inopertus* nusquam exstat, quamobrem non dubito scribere *utinam quidem in aperto confessa veritas esset.* [1])

Iam si Fickerto credimus, Senecam *ac* ante vocalem scripsisse testatur n. q. II 31, 1 ubi describitur potentia fulminis, qua *loculis integris ac inlaesis conflatur argentum.* Nihil hic mutavit Fickertus probante H. C. Michaeli, qui in Philol. vol. VIII p. 457 Haasium increpans verba tenenda dicit, quippe quae diversa significent et vim dicendi augeant. Nec diversitatem ego quidem video nec cur hoc loco vis dicendi augeatur. Immo quam bene superfluum hoc librarii additamentum uncis incluserit Haasius, quisque intelleget comparato capite 52, 1, cum quae ibi dicta sunt, huc respiciant *loculis itaque integris, ut dixi, pecunia, quae in his fuit conflata reperitur.*

Accedit di. VII 22, 2 ubi quid de bonis externis sapiens iudicet exponitur et inlustratur ita *non contemnet se sapiens, etiamsi fuerit minimae staturae, esse tamen se procerum volet, et exilis corpore ac amisso oculo valebit, malet tamen sibi esse corporis robur.* Sed ut opposita inter se sunt *minimae sta-*

---

[1]) Quae di. VII 13, 2 in codice A ita scribuntur *indulget illis non timide nec obscure luxuriatur etiam inde aperto capite,* hunc in modum scribenda et interpungenda censuit Madvigius: *luxuriatur, sed inoperto capite,* compositum *inopertus,* quod iam veteres editores scripserunt, illo dialogi octavi loco defendi ratus, male ut videtur. Melius vel potius verum iudico, quod Gertzius consulens traditae scripturae proposuit *sed iam inde aperto capite.* cf. studia critica eius in L. Annaei Senecae dialogos p. 128.

turae et *procerum*, sic et in eis quae secuntur certam verborum oppositionem desideramus. Nunc autem ut dicta sunt verba, uno et certo membro nominato in vanum abit orationis gravitas, quam restituet qui cum Haasio resecat verba *ac amisso oculo*, quae addita esse videntur ab homine recordato inter eas calamitates, quae sapientem ex aequali felicitatis statu non propellant, hanc quoque nominari; cf. enim quae de eadem hac re fusius disseruntur ep. 9, 4.

II.

In coniunctione duorum verborum per particulam *que* facta de eis tantum verbis nos acturos esse, quae non distrahantur ad diversa enuntiata, vix est quod addamus. Pauca sunt nec ea sufficientia, quae caute ut fas erat, de hac componendi ratione Draegerus dicit p. 40 libri, cui inscribitur 'Historische Syntax der lat. Sprache'. Non enim ita saepe *que* ad coniungenda duo verba adhibitum esse putat. Nec qui perexiguum numerum verborum perlegerit communi consuetudine sermonis receptorum, qualia sunt *agere* et *ferre*, *vivere* et *vigere*, errore Draegerum lapsum credet. Ingens tamen copia obfundetur talium compositionum Senecae libros evolventi, quas in conspectu poni e re esse iudico. Ac primum quidem de formis verborum utrum certas leges sibi posuerit auctor an omnes aeque adhibuerit quaeramus. Infinitivo modo activi generis *que* adiectum ne apud Senecam quidem invenitur, cum respuant aures, ut puto, conreptarum syllabarum frequentiam periculumque sit ne vis huius formae posita in eo, ut plane exaudiatur littera finalis, sono minus claro extenuetur. Infinitivi vero passivi generis cum acuta finiantur vocali, tuti sunt ab illo obscuritatis periculo eamque ob causam identidem exstant:

sumi deponiq. di. III 17, 1. *laedere laediq.* ep. 95, 49. *uti fruiq.* di. XI 10, 1. *gaudere laetariq.* di. IV 6, 2. *cogi compelliq.* ep. 52, 4. *caedi vexariq.* di. I 2, 3. *concitari contristariq.* di. IV 7, 1. *transiri calcariq.* di. V 21, 2. *averti tolliq.* n. q. II 47. *solvi vitiariq.* n. q. VII 18, 3.

Aequali fere numero legitur praeterea in fine infinitivi passivi altero verbo non adiecto.

Amplioris fere sunt ambitus aut gravioris ingressus formae passivae, lenius fluunt et intra pauciorum syllabarum spatium consistere solent activae. Quo fit, ut magis frequentetur *que* in his formis componendis quam illis. En exempla:

quod traditur possideturq. d. b. I 5, 2. *quae dantur petunturq.* ep. 72, 7. *exiguntur mandanturq.* ep. 95, 35. *concitatur remittiturq.* di. III 9, 1. *vitiatur exasperaturq.* (sic bene Hauptius in indice lectionum aestivarum a. 1866. pro *violatur*) ep. 83, 26. *movemur alimurq.* 92, 1. *sequitur aemulaturq.* 104, 23. *quatiatur fluctueturq.* di. III 10, 2. *innascuntur innutriunturq.* di. III 11, 3. *recondatur feraturq.* di. V 13, 2. *laudatur exspectaturq.* di. VI 20, 1. *porrigitur incurvaturq.* n. q. I 8, 1. *temptatur divelliturq.* n. q. III 30, 5. *inlustratur inflammaturq.* n. q. VII 12, 1. *quaeque passi invicem ausiq. sunt populi* n. q. III pr. 5.

Activi verbi formas has accipe:

suadet dissuadetq. d. b. VI 30, 5 n. q. II 39, 3. *suadebant dissuadebantq.* ep. 90, 5. *fecit dixitq.* di. V 23, 4. *dixerit feceritq.* n. q. I 16, 3. *eunt redeuntq.* d. b. IV 23, 4. d. b. VI 22. *quidquid timemus optamusq.* ep. 41, 5. *quae contingunt acciduntq.* (de bona ac mala fortuna haec duo verba accipere iubemur antecedentibus verbis *neutri se fortunae submittens*) ep. 66, 6. *exsiliunt residuntq.* ep. 66, 11. *nocent prosuntq.* di. IV 27, 2. *disces docebisq.* di. VI 18, 7. *edebat bibebatq.* di. XII 10, 10. *minuunt augentq.* n. q. VII 17, 3. *crescit iterumque decrescit* n. q. III 28, 6. *foveat generetq.* d. b. IV 24, 1. *referamus reddamusq.* d. b. VI 43, 3. *deurit obteritq.* d. cl. I 25, 4. *firmat adtollitq.* ep. 66, 31. *augebat ornabatq.* 90, 5. *urgebunt macerabuntq.* 104, 19. *rapit instigatq.* 108, 7. *intendet explicabitq.* 109, 15. *vastabat fugabatq.* 113, 29. *quae me ex transverso feriunt aguntq.* (ubi cum Erasmo malis *ferunt*) 117, 21. *turbavit laceravitq.* di. II 11, 2. *saevierunt expaveruntq.* di. III 3, 8. *propulit stravitq.* di. III 11, 2. *procedant extendantq. se* di. III 21, 4. *insultant instantq.* di. V 1, 2. *eripit se aufertq. ex oculis* di. VI 23, 3. *sternet abducetq.* di VI 26, 6. *torrebit incendetq.* di. VI 26, 6. *taedet pigetq.* di. IX 2, 11. *quod possedi habuiq.* di. IX 11, 2. *augeat adtollatq. se*

di. IX 17, 8. *divideret disponeretq.* n. q. I 16, 4. *coegit congelavitq.* n. q. II 53, 1. *intravit disposuitq.* ep. 66, 8. *videt contemnitq.* 73, 14. *adiit tractavitq.* 82, 12. *aderit levabitq.* 115, 5. *quae videmus tractamusq.* n. q. II 2, 3. *quae scindit circuitq.* n. q. III 30, 6. *quae supersunt stantq.* n. q. VI 9, 2. *tonat fulguratq.* n. q. VII 4, 2.

Disiunximus a prioribus commixta ex utroque genere exempla:

agit nos agiturq. velox dies ep. 108, 24. *pellunt invicem fuganturq.* d. b. I 10, 3. *colunt detestanturq.* d. b. I 9, 2. *ut meliores fiant faciantq. meliores* ep. 52, 9. *extollit se miraturq.* ep. 74, 32. *egone placui electusq. sum* d. cl. I 1, 2. *veneratur colitq.* di. V 41, 3. *exhortamur incitamusq.* di. VII 25, 7.

Sequantur formae participiales, quarum et passivi et activi generis copiam dare possum:

donec liberatus eliquatusq. est n. q. III 26, 6. *atomi congesti coacervatiq.* n. q. VII 13, 2.

His qui similes sunt ceteros fere triginta locos supersedeo transcribere, trado vero quae participia activi generis conlegi:

accipientium reddentiumq. d. b. I 3, 3. *ementes vendentesq.* di. II 13, 4. *viventium pugnantiumq.* di. IV 8, 2. *absentes abfuturosq.* di. VI 19, 1. *fugientes petentesq.* di. VII 28. *vigilantes dormientesq.* di. X 9, 5. *radios incurrentes recurrentesq.* n. q. II 12, 3. *scientes volentesq.* ep. 114, 21. *volentes scientesq.* di. IV 28, 5. *prudens sciensq.* di. VI 17, 6. *volens libensq.* ep. 37, 2. *venerantes colentesq.* d. cl. I 19, 8. *adorantium venerantiumq.* ep. 67, 11. *multa agenti molientiq.* ep. 14, 15. *virentium florentiumq.* ep. 34, 4. *nitens pergensq.* di. II 8, 2. *laudantium blandientiumq.* di. IX 1, 16. *flentium detestantiumq.* di. IX 8, 8. *marcentes oscitantesq.* di. X 2, 2. *lugentem timentemq.* (quamquam correxit Hauptius ita *lugentem amentemq.*) ep. 10, 2. *agenti docentiq.* ep. 40, 3. *currentem luctantemq.* 117, 26. *aeris diducentis se conruentisq.* n. q. II 18. *natantem palpitantemq.* n. q. III 18, 3. *obligantium obligatorumq.* d. b. I 4, 5. *quod natum futurumq. est* di. VIII 5, 6. *praeteritum futurumq. tempus* di XII 11, 7.

Diversa interdum eiusdem verbi tempora componuntur eo consilio, ut describatur rei alicuius aequabilitas et per-

petuitas. Sic praesentis et futuri temporis fit coniunctio his locis:

stant stabuntq. d. b. I 10, 1. *viget vigebitq. memoria* di. VI 1, 3. *delectat delectabitq.* n. q. IV pr. 1 *dant daturiq. sunt* d. b. III 11, 2.

perfecti et praesentis

habuerunt habentq. d. b. II 29, 6.

praeteriti et posteri

quod fuit futurumq. est di. XII 20, 2.

His liceat adiungere etsi a priorum habitu modoque deflectant hos locos tres:

multum restat multumq. restabit ep. 64, 7. *quod passi sunt omnes omnesq. passuri* di. XI 1, 4. *dis geniti deosq. genituri* di. VI 15, 1.

Admodum saepe observatur duorum gerundiorum per *que* constituta societas. Ea fere omnia ita comparata sunt exempla, ut utrumque verbum pendeat e nomine substantivo, vide enim:

munere dandi auferendiq. vitam d. cl. I 21, 2. *finis edendi bibendiq.* ep. 85, 23. di. VII 20, 5. *emendi vendendiq. litem* n. q. IV pr. 7. *ulciscendi querendiq. libertas* d. b. VI 4, 1. *materia largiendi iuvandiq.* d. b. VI 29, 1. *consensus sic protegendi amandiq.* d. cl. I 3, 4. *licentiam vagandi errandiq.* d. cl. I 16, 5. *permanendi conservandiq. se voluntas* ep. 82, 15. *robur perpetiendi lassandiq. vim* di. II 9, 5. *finem flendi gemendiq.* di. VI 2, 4. *excitandi se abstrahendiq. materia* di. IX 2, 11. *formandi condendiq. materiam* di. XI 8, 2. *periculum desinendi vertendiq. se in contrarium* d. b. VI 21, 4. *causa relinquendi quaerendiq.* di. XII 7, 4. *faciendi videndiq. satietas* ep. 24, 26.

Sui iuris, ut ita dicam, sunt verba

in arando serendoq. d. b. IV 9, 2.

Gerundivi exempla haec:

beneficia expetenda tribuendaq. ep. 36, 4. *erudiri ad inferenda accipiendaq. volnera* ep. 95, 33. *ad evocandas supprimendasq. aquas* n. q. V 18, 13. *ad compescendos moderandosq. luctus* di. XII 1, 2. *in coercenda comprimendaq. aegritudine* di. XII 16, 7. *formandus instituendusq.* animus ep. 7, 9. *haec expendenda aestimandaq. sunt* di. III 19, 8. *mollienda fovendaq. ingenia* di. IV. 20, 4. *quod laudandum petendumq. est* di. VIII 1, 3.

omisso obiecto

a qua aberranti cupiendum timendumq. est ep. 98, 14.

Eodem modo quo cetera adiectiva haec quoque usurpari pro substantivis docent loci hi:

inseparabile est laudandum petendumq. ep. 66, 10. *exactum iudicium de fugiendis petendisq.* ep. 94, 12.

Quae nunc subiuncturus sum exempla, cum ex parte huc non pertineant, verendum est ne inconstantiae coarguar. Tamen a me impetrare non possum, ut sicco pede transeam nonnullos locos, qui duplici ex causa rarum dicendi modum exhibere mihi videntur. Non enim saepe evenire puto, ut duo diversorum temporum verba pendeant ex eadem particula, sicut d. cl. II 1, 2 *invitus invito cum chartam protulisset traderetque, exclamasti* .... Cum ita scriptor mutatione temporum facta cum vi quadam actionem alteram a priore seiunxit, id eam ob causam fecisse putandus est, ut indicaret alteram altera graviorem esse. Cum hac tamen disiunctione minime congruit *que* particula, qua dissoluta denuo arte conligantur; defensio inde paratur scriptori, quod illa tradendi actio nulla mora interposita excipit antecedentem proferendi. Similiter d. b. II 21, 6 *cum illi Rebilus ... maiorem summam misisset instaretque ... inquit.* At paulo magis iam discrepat cum his duobus ideoque mutandi ansam Gertzio praebuit di. V 20, 3 *postquam inter arenas radices quoque et herbae defecerant adparuitque inops etiam animalium solitudo decimum quemque sortiti alimentum habuerunt fame saevius.* Non tamen est quod offensi diversis temporibus scribamus *defecerunt*, ducimur enim tamquam rei praesentes per singulas calamitates nec statim in extremam miseriam coniectis adgregamur. Remanet vero notatu digna, ni fallor, celeris illa per *que* transitio.

Pauca adiciamus de natura notionum per *que* compositarum inutilia fortasse, quia ex ordine quem summatim in proferendis locis secuti sumus, rem iam perspectam esse opinor. Paucis igitur locis variae res et quibus nullum est commercium nominantur, quales sunt in n. q. II 2, 3 *quae videmus*

tractamusque. Multo maior est copia exemplorum, in quibus adfinitatem atque etiam consensum verborum observare licet. Rariora quidem talia erunt, paucis exceptis quae ut *sciens volensque* in consuetudinem abierunt, apud scriptorem qui contracto et adstricto dicendi genere utatur, frequentiora ea esse apud Senecam nihil mirandum est, utpote cui tamquam ex pleno atque perenni fonte novae semper verborum undae adfluant. Tertium genus non minus frequens, quod oppositione quadam verborum insignitur, ad inlustrandam vim particulae *que* omnium maxime aptum est. Intimam enim consociationem per eam fieri inde intellegitur, quod *et* et *atque*, quorum alioqui communis saepe cum *que* usus est, ab hoc genere magis abhorrent. Discrimen tamen aliquod animadvertitur inter eos locos, ubi per *que* diversas res arte scriptor copulat. Ratio enim rerum inter se oppositarum talis esse potest, ut aut excludant invicem aut non excludant cum modi potius finesque designentur, intra quos res una atque eadem versetur. Sic *eunt redeuntque sidera* (d. b. VI. 22.), quia ex his duobus motibus tota meandi ratio componitur, sic eis quae *contingunt acciduntque* (ep. 66, 6) comprobantur diversae fortunae vices, quarum notionum in unum confluentium apte per *que* fieri complexionem manifestum est. Bene ergo componuntur ita etiam diversa verbi tempora, quibus rem aliquam per longioris temporis spatium extendi indicatur. Attamen non ubique agnosces talem sive temporum sive verborum diversitatem, quae in unitatem iterum coeat. Quid quod d. b. I 9, 2 legis *colunt enim detestanturque felicem*, aut paulo post 10, 3 *pellunt invicem fuganturque.* Frustra hic tertium quaeres, quod in se recipiat et in unum misceat duo illa verba. Ea ergo talibus locis est vis vocis *que*, ut intentiores nos faciat in dissensionem rerum, quae aut eodem tempore aut cum vicissitudine quadam fiunt. Sed utut est ratio verborum ita coniunctorum, id constat proprium et peculiare hoc copulandi munus esse particulae *que.*

Atque, quod abundat in componendis verbis varias res

et similes describentibus, paucis tantum exemplis illo munere fungitur. Ac primum infinitivi activi, cum per *que* componi nequeant, coniunguntur per *ac* his locis:

descendere ac surgere ep. 36, 11. *suadere ac dissuadere* ep. 95, 10. *recedere ac resurgere* (sic Haasius) n. q. VI 7, 7. *prodire ac recedere* d. cl. I 8, 4.

Oppositorum verborum cetera exempla sunt haec:

probare ac probari ep. 109, 10. *nodos nectis ac solvis* ep. 117, 31. *nodos nectimus — ac deinde dissolvimus* ep. 45, 5. *quae ratio oceanum effundat ac revocet* d. b. VII 1, 5. *fugiunt ac secuntur* ep. 24, 26. *edunt ac bibunt* ep. 37, 2. *ex qua prodierunt ac mox processura sunt* ep. 36, 10. *turba veniens ac recedens* di. VII 4, 3. *vivendi ac moriendi scientia* di. X 19, 2. *vicibus mittendi ac remittendi* d. b. II 32, 4. *peritus fugiendorum ac petendorum* ep. 66, 6. *adpetenda ac fugienda* ep. 82, 6. *facienda ac vitanda* ep. 94, 48 et 95, 13. *praestanda ac vitanda* 95, 51.

His accedunt pauci loci, quibus abest oppositio notionum, quos omitto. Causa autem, cur has gerundii et gerundivi formas fere aequali numero per *ac* composuerit scriptor, in aperto est, inest enim aliquid molesti et languidi conlectioni earum, quod extenuatur interposito *ac*. De *ac* hoc praeterea addi potest, minus ad participii componendas formas quam infinitivi et indicativi atque coniunctivi modi eam particulam adhiberi. Nam participia praesentis activi praeter di. VII 4, 3 coniunguntur di. II 10, 3 di. III 1, 4. d. b. VI 24, 1. n. q. IV 13, 1; generis passivi ep. 26, 4 di. I 2, 12. n. q. I 5, 1. n. q. III 15, 5. n. q. IV 2, 6. Sed omnino casui hanc raritatem tribuendam esse non ego dixerim. Cum enim gravitas quaedam insit *ac* particulae, consentaneum est eis potissimum eam interponi temporibus, in quibus firma pronuntiandi et indicandi vis, qua instructa sunt verba, plena et imminuta est.

Plenior autem forma *atque* multo rarior est nec ullo loco talis oppositio verborum conspicitur, qualem priora exempla ostendunt. Nam in sententia quae bis occurrit *idem velle atque idem nolle* (ep. 20. 5 ep. 109, 16) accedit

repetitio pronominis et imitatio Sallustii. Maiore quidem adfectu pronuntiari locos ubi occurrit, facile suspiceris, sed perexigua exempla suspicioni huic respondebunt velut *oro atque obsecro* ep. 19, 1 di. VI 5, 1 et *rogo atque hortor* ep. 20, 1.

Per *et* denique conligantur praesens et futurum eiusdem verbi ep. 61, 4 *videtur et semper videbitur;* activum et passivum genus n. q. IV 11, 2 *inter se vincuntur et vincunt.* Dubia autem est lectio di. II 7, 1 *exhibuimus et exhibebimus*, cum *et* in codice A supra lineam scriptum sit.

III.

Accedamus ad nomina et primum quidem ad substantiva. Rationem quae inter duas tales notiones intercedat qui accurate aestimet et perpendat, quadruplicem eam esse videbit. Aut enim contrariae inter se sunt res designatae, ut *vita nexque* d. b. III 23, 3, aut pares inter se vel similes, ut *adsectator comesque* di. IX 1, 8, *principes regesque* d. cl. II 1, 3, aut diversae, ita tamen, ut tertium cogitetur quod ad utramque pertineat, ut *ursi leonesque* di. V 30, 1, *barba capillusque* di. XI 17, 5, quae species sunt unius generis, aut prorsus diversae, ut *duas causas — solem nubemque* n. q. I 3, 14.

Omnium quidem horum generum multa legis exempla apud Senecam nec tamen omnium parem numerum. Id enim quod in fastigio partitionis posuimus genus, longe superat cetera. Proximum ab eo est genus verborum cognominatorum. Quartum ubi *que* merae enumerationi inservit, cum minus congruat cum devinciendi facultate eius particulae, sat angustis cancellis coercetur. Sed ut etiam particularum *et* et *atque (ac)* rationem delineemus, ne his quidem varius ille usus denegatus est; attamen *que* particulam frequentari apud Senecam in coniungendis contrariis notionibus, hoc quoque substantivorum genere comprobatur. Infiniti autem operis esset omnes locos perlustrare et in con-

spectu ponere. Itaque primum tantum et ex parte tertium genus paululo uberius tractare in animo est.

Idem in substantivis quod in verbis discrimen observatur, ut ad describendum totum rei alicuius ambitum quasi termini ponantur aut vera fiat verborum oppositio. In priore quidem numero complures sunt compositiones, quae quia fere figurae vim induerunt, aeque apud omnes scriptores occurrunt. Huius generis apud Senecam leguntur: *di deaeq.*, *terra mariq.*, semel (di. X 4, 5) ordine inverso *mari terraq.* Sed non tantum in trita hac formula verum etiam aliis locis ubi haec verba componuntur, plerumque in usu est eadem copula. Sic legis *terrarum marisq. pacator* d. b. I 13, 3. *in vastum terrarum marisq. prospectum* ep. 89, 21. *luxuria terrarum marisq. vastatrix* ep. 95, 19. *quod maria terrasq. complectitur* di. VIII 4, 2. Contra *ac* particula adhibita est ep. 104, 19 *per terras ac maria vagum* et di. VII, 11, 4 *terrarum ac maris bona* et di. VIII 4, 2 ubi variandi causa *mari ac terris inserta* scriptum esse videtur. *vita* et *nex* iunguntur per *que* his locis *vitae necisq. potestas* d. b. III 23, 3. di. III 19, 8. *v. n. arbiter* d. cl. I 1, 2. *v. n. arbitrium* ep. 4, 8. *vitae mortisq. arbiter* di. XI 16, 2. Praeterea opponuntur *vita* et *mors* per *que* ep. 71, 14. di. VI 10, 6; per *ac* d. b. V 6, 3. n. q. III 18, 1.

Pluribus modis totum diei noctisque spatium exprimitur, quorum usitatissimus est hic *per diem noctemq.* di. VII 5, 4. di. IX 17, 6. n. q. II 5, 2. n. q. III 1, 1. n. q. VII 8, 2. *diebus noctibusq.* d. b. VII 14, 6. *dies noctesq.* di. VII 1, 2, *per dies noctesq.* ep. 59, 14. n. q. III 10, 2. Contraria sunt *per diem ac noctem* n. q. III 25, 8. n. q. VI 16, 3. *diem et noctem* lud. 7, 5. *noctibus ac diebus* ep. 15, 5. *diebus ac noctibus* di. XI 12, 4. d. b. IV 3, 2. Eaedem porro voces, sed non adverbialiter proferuntur *que* interposito n. q. V. 15, 3; di. VI 18, 2 *diei noctisq. spatia*, ubi Gertzium ab Annaeano dicendi usu discrepantem formam *die* recte mutasse iudico.

Quattuor temporum quibus totus anni cursus conficitur,

tamquam opposita inter se cogitamus hiemem et aestatem, ver et autumnum, quorum per *que* composita habes illa d. b. IV 28, 1. di. IV 27, 2. n. q. III 11, 6. plurali numero d. b. VII 31, 4. di. VI 18, 2. n. q. II 11, 2; haec d. b. IV 28, 1. n. q. III 16, 3. Ut harum vocum per *et* vel *atque* factae compositionis exemplum frustra quaeres, sic etiam verborum *oriens* et *occidens*, quae per *que* conseruntur ep. 92, 32. di. VI 18, 4. d. b. VII 3, 3. n. q. I 17, 2.

Fere ubique per *que* coniuncta sunt *factum* et *dictum*: d. cl. I 3, 2. d. cl. I 8, 1. d. cl. II 2, 2. ep. 34, 4. ep. 95, 45. di. VI 5, 2. di. VII 20, 5. dubia est lectio di. II 10, 2, per *ac* di. V 36, 3. di. XI 18, 8. novem locis *di et homines* d. b. VII 1, 7. d. cl. I 13, 2. ep. 29, 12. ep. 85, 1. ep. 92, 27. ep. 95, 54. di. III 21, 1. di. VII 27, 1. di. IX 11, 11. *h. et d.* n. q. V 18, 10. *d. atque h.* di. VIII 4, 1. *humana et divina*: di. XI 1, 2. di. XII 9, 3. ep. 74, 29. ep. 88, 33. ep. 89, 5. ep. 90, 3. ep. 102, 22. ep. 104, 22. ep. 110, 8. ep. 8, 6 (simul), *h. et d.* bis ep. 89, 5. *h. ac d.* ep. 31, 8. di. I 5, 8 (pariter), *atque* ep. 68, 2. ep. 95, 52. d. b. VI 31, 11. Multis quidem locis *malus* et *bonus* una complexione ponuntur, ceteris tamen particulis multo superior est *que*. *corpus animusq.* ep. 66, 46. ep. 117, 19. di. III 6, 1. *animae corporisq*, ep. 30, 14. *c. et a.* ep. 66, 46. di. IV 25, 2 (simul). *c. atque a.* ep. 84, 11. *parentes liberiq.* di. IV 9, 3. id est *patres filiiq.*, quia hi solum in diversa castra digredi possunt. Eodemque modo *liberi* pro *filii* dictum puto di. V 33, 1 pecunia *patres liberosq. committit*, nam aliter accipiendo infringitur vis oppositionis. Contra *parentes ac liberi* et solito quidem sensu legitur d. b. III 36, 2,

Eadem coniungendi ratio ibi etiam conspicitur ubi pronomen pronomini vel alii cuidam nomini opponitur. Sic est: *alios teq.* di. VI 17 1. *se aliosq.* di. IX 12, 4. di. X 14, 3. *suum alienumq.* ep. 83, 16. *externa suaq.* d. cl. I 26, 4. *sui naturaeq. cognitio* ep. 82, 6. *sibi atque alteri* di. V 42, 2.

Non oppositio sed comparatio facta est ideoque non *que* sed *ac* positum ep. 90, 40 *par erat alterius ac sui cura*,

et di. IX 16, 1. *simul de se ac de republica.* Quamquam modo hanc modo illam particulam in huiusmodi enuntiatis a Seneca adhibitam esse postea videbimus.

Pergo plura congerere exempla huc pertinentia, quae quo celerius oculis percurras verbis additis parcam.

notus ignotusq. di. XI 11, 1. *n. atque i.* di XII 6, 6. *lux umbraq,* n. q. I 3, 1. *lumen umbraq.* n. q. I 3, 4. *lux atque u.* n. q. I 3, 4. *caelum terraq.* n. q. II 1, 2. n. q. II 4, 1. n. q. V 18, 13. di. XII 20, 2. *aqua terraq.* n. q. V 5, 1. *virtus voluptasq.* di. VII 15, 1. di. VII 15, 3. *virtus ac malitia* ep. 31, 6. *domi forisq.* ep. 95, 72. *pater materq.* d. b. III 31, 3. d. b. VII 12, 1. *cibi potionesq.* d. b. IV 13, 1. *et* n. q. I pr. 4. *fas nefasq.* di. IV 9, 2. *universi singuliq.* d. cl. II 5, 3. di. IX 3. 3. *s. atque u.* d. cl. I 3, 3. *homines resq.* di. II 9, 3. di. V 6, 5. n. q. IV pr. 1. *laborem quietemq.* d. b. VII 31, 3. *res consiliaq.* ep. 20, 4. ep. 42, 8. *cogitationes actionesq.* ep. 66, 6. *sata animaliaq.* ep. 66, 11. ep. 76, 9. *in arbore animalique muto* ep. 124, 8. *animalia arbustaq.* n. q. II 4, 2. *animalia hominesq.* di. IV 19, 2. *crura bracchiaq.* ep. 95, 22. *auditio lectioq.* ep. 108, 35. *coetus discursusq.* di. I 1, 2. *iuvenes senesq.* di. IV 10, 2. *iuventa caniq.* di. II 12, 1. *humanitas inhumanitasq.* di. II 13, 4. *uxor maritusq.* di. V 33, 1. *mares uxoresq.* n. q. VII 32, 3. *hostes civesq.* di. VI 12, 6. *accessiones damnaq.* di. VI 18, 2. *lucra damnaq.* di. IX 15, 1. *voluptas dolorq.* di. VII 4, 4. di. VII 15, 4. *communia privataq.* di. IX. 3, 1. *publica secretaq.* di. IX 12, 7. *pax bellumq.* di. IX 3, 3. *pauperes locupletesq.* di. IX 8, 3. *fratres sororesq.* di. XI 17, 8. *levitas gravitasq.* n. q. III 20, 2. *legiones equitesq.* n. q. V. 18, 14. *peditem simul equitemq.* ep. 59, 7. *initia finesq.* n. q. VII 25, 3. *honores iniuriaeq.* di. II 19, 1. *exitus simul reditusq.* n. q. VI 15. *res animusq.* d. b. I. 4, 3. *animus voltusq.* ep. 30, 3. di. III 16, 5. *latro viatorq.* di. V 43, 3. *expensa acceptaq.* d. b. IV. 32, 4. *splendidum sordidumq.* ep. 44, 5. *asperum blandumq.* ep. 66, 6. *aegri saniq.* ep. 94, 22. *inbecilla robustaq.* di. V 5, 1.

Complura attulimus exempla ubi *que* saepius quam *et* et *atque* (*ac*), complura ubi solum *que* positum est. Sunt vero nonnulla etiam nomina, ad quae componenda fere aequali numero omnes tres particulae usurpantur. Sic *sol lunaq.* 5 locis legi, *ac* 4, *et* 3; *ortus occasusq.* 4, *et* 2, *atque* 1.

Rarius occurrit *que*, quod mireris, in vocibus *fames* et *sitis*; copulantur hoc modo ep. 4, 10. di. IV 19, 5; at per *et* di. V 9, 4 ep. 14, 6 quo postremo loco verba *et sitim* errore in editionibus Fickerti et Haasii omissa e codicibus p et P restituenda esse monet Chatelain in Annalibus quibus inscribitur Revue de Philologie 1877 p. 105, per *ac* di. I 3, 2. di. IX 11, 10. di. XII 10, 2.

Atque adeo nullum exemplum *que* particulae inveni in compositione verborum *ferrum* et *ignis;* nam *ferro et igne* legitur ep. 7, 4. n. q. I pr. 8. di. I 3, 2. *i. ac f.* di. II 2, 2. Licet his postremis exemplis plura adhuc addantur quae *atque* particulam ostendant, nihil tamen ea re derogatur de veritate regulae supra memoratae. Nihil ergo officiunt loci hi:

spes ac metus ep. 13, 13. ep. 110, 4. d. b. IV 11, 5. *deminutio atque adiectio* ep. 58, 22. *auctus ac detrimentum* di. VII 4, 3. *intensiones ac remissiones* n. q. VII 1, 3. *avaritia atque luxuria* ep. 90, 36. *comoedia ac tragoedia* ep. 8, 8. *consilio ac manu* d. b. III 29, 7. *animo simul ac manu* di. V 3, 3. *virtus ac vitium* ep. 95, 65. *privata ac publica* di. I 5, 7. *falsum ac verum* di I 4. 10. *utilia atque inutilia* ep. 90, 5. *digna atque indigna* di. VI 10, 6.

Alterius generis quod est nominum ex unitate significationis sibi adfinium, non item plena manu exempla nos effusuros esse diximus. Pauca tamen quoad sufficiant ad inlustrandam rationem inter *que* et *atque* intercedentem, pace tua deprompsero. De toto quidem genere si dixero *atque* plus duplici numero superari a *que* particula, a vero me recessisse non puto. Sed quanto maior sit huius quam illius copulae usus aliquot exempla ostendent.

Ad componenda verba *usus* et *fructus*, quae plerumque *ἀσυνδέτως* ponuntur, *que* adhibuit Seneca quinquiens ep. 14, 17. ep. 73, 9. ep. 98, 11. di. VI 10, 2. di. XI 10, 6; nec alius, ni fallor, in his verbis coniungendis modus apud Senecam invenitur. Idem fit, quod non ita mireris, in sequentibus exemplis:

principes regesq. d. cl. I 4, 3. d. cl. II 1, 3. d. cl. II 5, 2. *gen-*

tes populiq. d. b. V 15, 3. d. b. VII 31, 4. di. XII 7, 1. *domina rectrixq.* ep. 85, 32. *rector dominusq.* n. q. VII 25, 2. *rectorem ducemq.* n. q. III 30, 8. *saxa rupesq.* di. II 1, 2. n. q. II 26, 5. *saxa cautesq.* n. q. III 12, 2. *scopulos rupesq.* n. q. II 6, 5. *lusus iocusq.* di. V 11. 2. di. IX 17, 6. *ludus iocusq.* di. VII 12, 2. *lusum ac iocum* ep. 95, 33.

Sed ab altera quoque parte ut exemplum adferatur, *vis ac potestas* legitur di. VII 8, 5. d. b. II 34, 5. n. q. II 37, 2. Haec vero verba ut per *ac* copularentur, gravitate eorum factum puto, qua de re in fine huius partis dissseretur.

Tertium et magis etiam quartum genus a prioribus eo differunt, quod laxius est vinculum quo notiones conectuntur. Nam quae priorem sequitur rem res alia est novaque ideoque minor etiam est facultas adhibendae *que.* Atque cum plana haec sit ratio et manifesta in postremo genere, silentio id transire poterimus. Tertium vero genus tamquam in confinio utriusque et diversarum et similium notionum generis positum pauca verba exemplaque desiderat, ut paulo accuratius definiatur, quid illud sit quod ad utramque notionem pertineat simulque ut e consensu plurium huius quoque notae locorum per *que* coniungi solere res aliquo modo inter se cognatas intellegatur.

Ac primum quidem exemplo supra indicato *ursi leonesq.* di. V 30, 1 accedunt haec: d. cl. I 26, 3. di. IV 31, 6. praeterea *elephanti leonesq.* d. cl. I 5, 5. *tigres leonesq.* ep. 85, 8. *leonum luporumq. ritu* di. IV 15, 4. *mures formicaeq.* di. IV 34, 1, quibus locis omnibus ad inlustrandam sententiam suam simile quoddam proposuit scriptor sumptum e natura animalium. Atque summa disputationis vertitur in ipsa animalium mentione, quae sint nomina eorum minoris est momenti. Vides ergo quale sit discrimen inter illos locos et ep. 90, 16 *tergis vulpium induitur ac murum,* ubi simplicem habes enumerationem. At per *ac* ex memoria duorum universa animalium notio constituitur ep. 19, 11 *visceratio leonis ac lupi* et d. b. III 31, 4 *muscarum ac vermium bonum.* Eodem modo maiores prognatique describuntur *avo-*

rum proavorumq. serie ep. 76, 12. *avo proavoq.* d. b. IV 31, 2. *nepotes pronepotesq.* d. b. IV 32, 1. di. VI 11, 5. di. XII 18, 9. Sensus notione continentur *odore gustuq.* di. V 10, 3. n. q. III 24, 4. *gustum tactumq.* di. IX 4, 7. *visu tactuq.* di. VI 12, 2. Congruunt in eo quod sunt pili *barba capillusq.* di. XI 17, 5. *barba caniq.* n. q. III 29, 3. Tertium exemplum Madvigio debemus, qui ep. 92, 34 pravam lectionem *ex barba capillosque tonsa* ita correxit *ex barba capilloque detonsa.* *Aurum* et *argentum*, quae tamquam summam bonorum externorum identidem complectuntur, numquam memini me per *atque* legisse coniuncta, per *et* exstant d. b. V 6, 2. d. b. VII 10, 2.

A ratione horum exemplorum, in quibus quae componebantur notiones aeque participes erant unius notionis extra eas supraque eas positae, diversi sunt ei loci ubi componuntur quae ad rem aliquam plene describendam apta vel necessaria sunt. Sic ep. 88, 26 ubi verba facit Seneca de officio geometrae quod positum est in numero et mensura rerum, recte hunc in modum loquitur *sapiens causas naturalium et quaerit et novit, quorum numeros mensurasque geometres persequitur et subputat.* Item ep. 80, 2 *quam inbecilli animo sint, quorum lacertos umerosque miramur*, bene verba *lacertos* et *umeros*, quae virium atque roboris documenta sunt, per *que* conligantur. Vini pretium aestimanti duae potissimum res intuendae sunt, et cuius anni et cuius regionis sit. Merito ergo has notiones arte coniunxit scriptor his verbis *tot consulum regionumque vina* ep. 114, 26.

Denique huic generi subiungamus exempla, in quibus res copulatae naturae quadam condicione ut ita dicam cognatae sunt, veluti *lumen calorq.* n. q. II 10, 1. *tonitruum fulminaq.* n. q. II 30, 3. *luxuria segnitiaq.* di. III 11, 6. Huic numero iure fortasse adscribam ep. 109, 7. Sed quia totus locus gravi morbo laborat, fusius eum tractare liceat. Disputat Seneca hac epistula ea de quaestione num sapiens sapienti prodesse possit, quod negat scriptor dicens sapientem adiuvari non alienis sed suis ipsius viribus. Huic autem

sententiae opponuntur secundum codicem B verba haec *uno modo dicas licet non esse in melle dulcedinem: nam ipse ille, qui esse debeat, ita aptatus lingua palatoque est eiusmodi gustum, ut ille talis sapor capiat offendetur.* Quae nihili esse nemo non videt. Fickertus quidem deteriorem ex parte secutus codicem ita scripsit *nam ipse ille qui est, debet ita aptatus lingua palatoque esse ad eiusmodi gustum, ut ille talis sapor capiat offendentem.* Sed primum necessitatem cur mutemus verba *qui esse debeat, ita-est* non video, tum mihi quidem non probavit Fickertus sententiam suam, qua *offendentem* idem esse voluit atque *incidentem.* Docent enim me iudice verba sequentia *sunt enim quidam quibus morbi vitio mel amarum videatur* in prioribus agi de vera quadam offensione. Nec meliore avi Haasius locum emendare conatus est, qui recte fortasse pro *uno modo,* quod certe ferendum non est, *isto modo* scripsit, nisi forte *tuo modo* praefers, cum facilius ex *agit tuo* quam ex *agit isto* oriri potuerit *agit uno.* Vim vero adtulit traditae voci *ipse,* quam ex *nisi* depravatam esse a verisimilitudine abest. Quod praeterea *ille talis sapor* in *illum talis sapor* mutavit, propter languidam pronominis repetitionem non probabile videtur. Ut meam ergo promam sententiam, ita scribendum suspicor *nam ipse ille, qui esse debeat, ita, aptatus lingua palatoque est ad eiusmodi gustum, ut mellis saporem capiat, aut offendetur* (i. e. si ita aptatus non est). Nam in verbis *ille talis sapor* offendo, cum unum vel *ille* vel *talis* suffecisset; facilius praeterea quam primo adspectu videtur, *ille talis* originem ex *mellis* traxit, denique *aut* facile post *capiat* intercidere potuisse non est quod adiciam.

Sed ut ad id unde digressi sumus revertamur, huic generi ea quoque exempla adscribenda videntur in quibus alterum vocabulum priorem notionem non solum repetit, verum etiam amplificat et dilatat, quem ad modum comparati sunt loci hi *utilem se efficere civibus mortalibusq.* di. IX 3, 1. *leonum animaliumq. impetus caveis coercetur* di. IX 3, 2. *exilia interdum calamitatesq. in remedium cessere* di. IX 9, 3.

Fallitur qui inversum esse ordinem, ita ut vox latius patens priorem teneat sedem, sequatur notio inferior, iudicet di. X 4, 4 *qui* (sc. Augustus) *hominibus gentibusque fortunam dabat.* Evanescit certe tota sententiae vis, si *hominibus* de toto hominum genere cuius partes sint *gentes*, dictum putes. Immo ea est verborum oppositio, ut *homines* sint singuli, a quibus progrediatur oratio ad totas civitates quae ex societate singulorum conficiuntur.

Hoc loco praeterea eae nominandae mihi sunt verborum compositiones quas volgari et trito, sed inani nomine *ἓν διὰ δυοῖν* vocant. Nam hoc nomen si adplicares eis compositionibus quibus vere convenit, longe aliud exemplorum genus eo notares quam volgo ita vocari volunt. Re vera enim ἓν fit διὰ δυοῖν tum tantum, si duae quae ponuntur notiones aliam quandam ipsis superiorem ex se gignunt, ut *terra marique* dicitur pro *ubique* vel *diem et noctem* pro *semper*, vel *vitae necisque potestatem* si *infinitam* intellegimus. Solet autem illius figurae nomen usurpari de notionibus duabus quae ex aequo ponuntur, cum altera alteri inhaereat. Itaque *paterae et aurum* (Verg. Georg. II 192) ἓν διὰ δυοῖν esse contendunt, quia non dictum sit *aureae paterae* sed ipsum aurum quasi alia et diversa a pateris res additum sit. Sane τὰ δύο agnosco, ubi vero illud sit ἓν non video. Nam quod ex patera et auro componitur vas, licet conspectu unum sit, tamen si formam respicis est patera, aurum si materiam. Nos quidem vernacule dicimus 'goldne Schale' quod, cum maiore vi prematur nomen substantivum, id est ipsa res, at qualitas rei adiectivo nomine, id est dependente e substantivo indicetur, sensibus et oculis sponte ut unum subicitur. Sed errat qui versione nostra plene redditam putet vim vocum *paterae et aurum.* Nihil plane refert quo modo nos nostrae linguae verba scriptoris mandemus. Erravit igitur Rothius, qui in libello de ἓν διὰ δυοῖν figura apud Tacitum composito quattuor huius figurae genera discernenda esse statuit. Nihil autem errasset, si quattuor modis eam a nobis reddi dixisset. Nostrum est aestimare ac ponderare

verba latina et accurate interpretari, si quid a solito dicendi more recedere videatur. Sic in exemplo quod elegimus eo spectat parataxis substantivorum *patera* et *aurum*, ut magis praedicetur lautitia vasorum. Relegetur igitur potius ex artibus grammaticis nomen illud errori obnoxium et in errorem detrudens, satis habeatur cognosse talem saepe esse duorum substantivorum rationem, ut altero indicetur res, altero accuratius describatur. Totum autem hoc elocutionum genus cum orationi haud raro gravitatem quandam et severitatem adferat, frequens est in Taciti libris, Seneca vero, ut qui minus faveat sermoni recondito et elaborato, in universum parcit huic a simplici stilo dissentienti generi eloquendi. Eos tamen locos quos inveni huc pertinentes quique particulas *que* et *atque* exhibent, in medium proferam:

quae in usu sunt et manum cotidie tactumq. patiuntur d. b. III 2, 3. *luctator qui omnes numeros nexusq. perdidicit* d. b. VII 1, 4. *effectus damnaq.* di. III 2, 1. *verborum maledictorumq. amaritudinem* di. III 4, 3. *impatiens imperii rationisq.* di. III 10, 4. *ictus doloresq. patiantur* di. IV 14, 2. *in frigora septentrionemq. vergentibus* di. IV 15, 5. *ex voltu risuq.* di. IV 22, 4. *per poenam cruciatumq.* di. VI 18, 8. *ut magna bella adspectu adparatuq. vicerunt* (sic *adparatu* non *paratu* legendum esse elucet e collatione Chatelainii) ep. 14, 6. *periculorum gladiorumq. contemptus* ep. 95, 71. *fervor ignisq.* n. q. III 28, 7. *artem simulationemq.* n. q. IV pr. 11. *cursum violentiamq.* n. q. IV 2, 8. *natura viarum circulorumq.* n. q. VII 25, 7.

Hic, ut consentaneum est, rem quae explicatur sequitur ea quae explicat; rursus notionem minus late patentem excipit amplior n. q. III 26, 8 *tempestate fluctuq.* ep. 91, 12 *ventorum vis flatusque per clusa violenti* (sic olim Büchelerus in seminario nostro pro *interna vis| flatusque praeclusa violenti*).

Huius generis exempla in quibus alterius vocis adiectio fit per *atque* haec habeas:

indomitum nivibus atque Alpibus virum ep. 51, 5. *exspectationem mortis ac metum* ep. 78, 4. *voces ac minas* di. V 4, 3. *ex Macedone ac libero* di. V 17, 1. *in bruma ac frigore* di. VII 22, 3. *expers sensus ac sanitatis* di. XI 15, 2. *coniunctione ac sanguine* d. b. I 11, 4. *studiis ac litteris* d. b. I 11, 6. *con-*

tioni ac famae d. b. IV 21, 5. *portus ac praesidium* d. b. VI 28, 2. *ex causa ac necessitate* d. cl. I 11, 4. *diei spatium ac longitudo* n. q. V 11, 2.

Eadem quae in his exemplis ratio videtur etiam inesse loco d. b. VI 35, 5, quem tamen mendo vacare non puto. Reprehendit Seneca hoc capite eos qui ut officiorum onere se liberent, mali aliquid optant eis quibus obligati sunt. *Nemo* inquit *de immanitate animi tui dubitaret, si aperte illi paupertatem, si captivitatem, si famem ac metum imprecareris. Metum* si quartum votum esse putes, languidum est; cum desideretur res ea cuius metus in voto sit. At si coniungis cum voce *famem*, hoc quoque displicet, cum aeque ad *paupertatem* et *captivitatem* trahi debuerit. Ne ipsum quidem verbum *metum* aptum iudico, cum non sit vera certaque necessitas, sed exspectatio tantum. Quod Pincianus coniecit *mortem* aut Gruterus *letum*, eam ob causam non probo quia talem necessitatem optat amicus *quam adiutorio suo fideque discutiat* (§ 2). Si *morbum* scripseris, omnis tolletur offensio.

Quarti ut videtur generis exemplum nunc tractaturum incidisse me in oblivionem promissi mei ne credas, non enim multis molestus ero. Hoc tamen cum a quarto in alterum transferendum aestimem, libenter audias. Loquitur Seneca n. q. II 49, 1 de nominibus quibus diversa fulmina designaverit Caecinna. Sunt in his *pestifera, quae mortem exiliumque portendunt.* Recte illa fulmina pestifera vocari, quia mortem augurentur nemo negabit, quia exilium, non item. Tum post mortis memoriam fortior vox exspectatur. Quod vocabulum sensui magis commodum sit quam *exitium* nescio. Conferas velim di. III 2, 1 ubi merito ira gravissima humani generis pestis nominatur, quia inter effectus praeter alia totarum gentium exitia sint.

Verba *vis* et *potestas* supra per *ac* composita vidimus idque propter gravitatem verborum factum esse sentio, quod ut comprobetur alia proponamus exempla, in quibus idem verbum *vis* aliud similis sensus praecurrit. Inspice ergo *vi ac metu* d. b. I 9, 5. *vis ac severitas* d. b. VI 24, 2. *vis*

ac vigor di. III 7, 1. *vi ac pondere* d. b. V 3, 3. *vi ac pugna* n. q. V 12, 2. *vis flatusque,* quod legitur ep. 91, 12 non eiusdem naturae est.

Ut haec vox, sic altera quoque conciliari se cum alio vocabulo nisi per *ac* copulam fere non patitur, *periculum* dico. Vide enim *damnum ac periculum* d. b. II 14, 3. d. b. IV 12, 2. *navigationes ac pericula* ep. 58, 30. *materia criminis ac periculi* d. cl. I 26, 2. *sine certamine ac periculo* di. V 28, 2. Contra *cum labore periculoq.* di. VII 14, 2. Utrum his quoque locis ad eligendum *ac* gravitas verborum momentum adtulerit an natura litterae *p*, quae saepissime cum *ac* committitur, in suspenso potius relinquendum videtur. Maiore autem fiducia freti in prima verbi littera causam cur scriberetur *ac* fuisse contendemus his: *ebrietas ac libido* ep. 47, 7. ep. 59, 11. *vinum ac libido* ep. 59, 17 di. X 7, 1. *gula ac libido* ep. 124, 3. di. VII 13, 2. *venter ac libido* d. b. VII 2, 2. De di. X 7, 1 *in Venerem ac libidinem proiectorum inhonesta tabes est* cum Gertzio consentio verbis *in Venerem ac libidinem* otiose idem bis significari iudicante eaque de re ex superioribus editionibus *ventrem* revocante. Iure etiam propter verba antecedentia *errant* et *peccant* correxit *tabes* in *labes,* de qua voce conferas, si placet di. VI 22, 2 *animi mille labes.*

IV.

Transeamus ad adiectiva atque servato ordine primum de notionibus contrariis disseramus. Nolumus tamen omnem numerum effundere, cum iam supra in ordine nominum substantivorum complura exempla congesta sint; ne ea quidem describendo enuntiata in quibus duo huius notae adiectiva nomini substantivo adposita sunt, quod fit 30 fere locis, tempus consumemus. Sufficit totum hoc genus paucis inlustrasse.

Componitur interdum pron. poss. et adiectivum *alienum*; sic *suam alienamq. libidinem* ep. 99, 13. huc accedunt d. cl. I 1, 1. di. III 16, 3. n. q. V 18, 9.

item pron. poss. et adiectivum *publicum: suum publicumq. dolorem* di. III 11, 7. di. VI 11, 1. ep. 89, 18.

Mera adiectiva sunt *humanum divinumq.* ep. 88, 35. ep. 120, 14. di. II 6, 8. *iratis dis propitiisq.* n. q. II 59, 4. His adscribe di. VI 21, 3. di. VII 4, 2. di. VIII 4, 1. di. IX 1, 11. di. IX 8, 2. di. IX 11, 3. di. IX 11, 8. di. X 15, 2. di. XII 11, 7. n. q. I 10. n. q. VII 25, 5.

Plura huius generis exempla in quibus *atque* adhibuit scriptor postea indicabimus, constat tamen sibi scriptor in componendis adiectivis *dextrum* et *sinistrum* vel *laevum* per *que.* Sic legitur *cornu dextrum laevumq.* di. IX 3, 5. *dextrum auspicium sinistrumq.* n. q. II 32, 3. *d. laevamq. partem* n. q. VII 21, 2. *dextra laevaq.* n. q. IV 2, 8. *dextra sinistraq.* n. q. VI 6, 2.

At hunc postremum locum cum vitio laboret describam et ita quidem ut fertur in codice E *sicut in navigiis quoque evenit ut si inclinata sunt et abierunt in latus aquam sorbeant, quae in omni onerum eorum, quae vehit, si inmodice depressa sunt, aut superfunditur aut certe dextra sinistraque solito magis surgit.* Vitium quod in verbis *omni onerum* latere Haasius adposito asterisco indicavit, ita H. C. Michaelis in Philol. vol. IX p. 345 tollere sibi visus est ut scriberet *quae in omni onerariorum eorum* (sc. navigiorum), non onera sed naves esse quae deprimantur ratus, quasi non iure naves onera dicantur. Deinde nescio cur quod summo iure de navigiis in universum dixerit Seneca, post de onerariis tantum dictum velit. Accedit quod illa coniectura falsus genetivus partitivus, in quo Haasium haesisse opinor, repetitur. Mihi quidem verba *in omni * eorum, quae vehit* indicare videntur additum aliquid fuisse quo tota sententia amplificaretur. Tale Madvigius quoque desideravit, qui aliam tamen quam ego viam ingressus ceterorum codicum scipturam *oneri* vel *onere* ut inanem interpolationem abiciens ita scribi voluit *quae impatiens onerum eorum* me non probante, cum nimis a traditae lectionis vestigiis recedant verba. Ne ego quidem defenderim scripturam *in omni onere eorum,* quippe quae

nimis langueat, a vero tamen haud procul eam abesse iudico, *in omni genere eorum* Senecam scripsisse opinatus.

Sequantur notiones eodem vel simili sensu praeditae. Ex ordine earum compositionum, in quibus usu et consuetudine invaluit *que*, sunt *faustum felixq.* ep. 71, 5. *felix fortunatusq.* di. V 37, 3. *fortunatum beatumq.* ep. 45, 10. Sed longius erat cetera exempla omnia congerere, satius iterum videtur pauca eligi quae quia sollemnis in eis *que* est, probe hunc particulae usum inlustrent. Similia ergo inter se sunt adiectiva haec: placidum, tranquillum, lene, quietum, mite, compositum, remissum, pacatum, tacitum, silens. Hac ex serie ubi duo coniunguntur, per *que* id fieri solet. Sic habes

placidum tranquillumq. d. cl. I 5, 5. d. cl. I 13, 1; et inverso ordine *tranquillum placidumq.* n. q. III 26, 8. ep. 32, 4. *tranquillum quietumq.* di. XII 18, 2. *quietum placidumq.* di. I 2, 2. di. III 1, 1. *mite placidumq.* di. V 9, 3. *aequum placidumq.* di. II 8, 3. *lene placidumq.* d. b. II 13, 2. *tacitum quietumq.* ep. 99, 16. *silens quietumq.* di. III 19, 2. *quietum pacatumq.* di. V 43, 2. *quietum compositumq.* ep. 100, 8. *lene remissumq.* di. VI 18, 2.

item purum, liquidum, sincerum

purum liquidumq. n. q. VI 27, 2. n. q. VII 17, 3. *sincerum purumq.* n. q. II 26, 9. *liquidum sincerumq.* d. cl. II 6, 1.

incolume et similia

integrum incolumeq. di. II 6, 5. *salvum incolumeq.* di. V 23, 3. *incolume intactumq.* di. III 8, 7. *integrum inlibatumq.* di. II 6, 7.

solidum et similia

bonum solidumq. ep. 56, 11. *robustum solidumq.* ep. 72, 5. *firmum solidumq.* ep. 95, 15. (*ac* d. b. VII 26, 3). *forte solidumq.* di. IV 15, 1. *solidum forteq.* n. q. VII 9, 4. *par idemq.* ep. 20, 2. ep. 102, 12. *unus idemq.* di. XI 14, 5. di. II 6, 3.

In his locis eadem subest notio utrique verbo nec in diversas partes discedunt, sed quo planior fieret et inlustrior sententia scriptoris, complura vocabula adhibuit sumpta ex

eodem cogitationum orbe. Ab hac autem complexionis ratione distare videntur ea exempla ubi causa artioris copulationis minus in summo haereat, sed altius descendat. Talem enim putes esse necessitudinem verborum quasi causae et effectus. Sic si quis di. I 1, 6 *bonos viros acceptosque dis* ideo acceptos illos viros dis esse velit, quia boni sint de re nihil erit quod litigetur. Eiusdem notae hos habeas locos *mollem cedentemque materiam* di. VII 27, 3. *oculos fatigatos cadentesque in opere* ep. 8, 1. Vel ut permutato ordine effectum sequatur causa *in molli palustrique pascuo* ep. 51, 10. *aquarum stantium clausarumque natura* n. q. III 26, 8. Sed cum haec verborum ratio ita in aperto sit ut sponte a lectore sentiatur nec multo opus sit acumine ad indagandam eam non accedo illis qui huiusmodi exempla novum et plane distinctum a priore genus videri volunt.

Verum autem discrimen cum adpareat, merito a prioribus distrahitur id genus quod insigne est coniunctione adiectivorum ad varias res spectantium. Minus vero hic usus cum proprio et genuino particulae *que* sensu concinit, itaque minor huius notae exemplorum numerus est, quorum ut intellegatur quales locos respiciam, duo adponam: *magnum longumque bonum* d. cl. I 1, 5. *quos civilia bella claros potentesque fecerunt* ep. 94, 46.

Iam de paucis locis loquendum, qui quemadmodum uni ex tribus superioribus generibus inserantur quippe cum abhorrere videantur ab omnibus, primo dubium esse poterit, habent enim aliquid peculiare.

Mirus fit transitus a fortiore vocabulo ad infirmius eo sensu, ut aliquid detrahatur de vi illius n. q. III pr. 18 *animum, quo summo magnoque opus est, seducemus a corpore.* vel d. b. V 15, 2 *murmurationem .... pro pessimo pravoque numerantium, quicquid citra recti formulam cecidit.* De simplici adiectione vocabuli his locis cogitari nequit, nihil enim plane novi additur, sed coercetur prior vox ita ut *que* idem fere valere quod *aut certe* putandum sit. Externam tantum speciem qui inspexerit, his duobus fortasse adnumerabit ep.

83. 22 *haec* (sc. publica ebrietas) *acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit.* Latet autem in altero verbo licet positivum gradum tenente vis superlativi. Eodem modo priorem vocem restringi puto in compositione *par similisque* di. III 10, 1 et 10, 3.

Admodum raro duo adiectiva iuxta posita inveniri puto, ubi adverbium et adiectivum exspectes. Sic quod legitur di. IX 1, 6 *cibus parabilis facilisque* interpretandum est ita: cibus qui facile paratur, et di. V 2, 5 *populus ductu irae suae egressus fortuita raptaque pro armis gessit* intelleguntur res adreptae, ut fors tulit. Talis interdum duorum adiectivorum ratio est, ut prius universe dictum quo referendum sit, altero indicetur. Sic adiectivis *utile, necessarium* succedit *vitale,* ut declaretur utilem vel necessariam esse rem commemoratam ad vitam degendam; quod fit ep. 39, 4. n. q. V 18, 1. d. b. IV 24, 1.

Explicationem aut interpretationem prioris adiectivi his habes locis: *numquam vir ille perfectus adeptusque virtutem fortunae maledixit* ep. 120, 12. *solitum quietumque egredi habitum* di. III 1, 5.

Verum quidem est diversis modis in his exemplis rationes adiectivorum explicari atque adeo plures ab eo facile inveniri posse qui pondus verborum subtiliter examinaverit. In universum tamen cavendum est, ne discrimina comminiscamur, quae scriptor nullo modo cogitaverit. Nos ergo non dubitabimus adscribere omnia exempla ita comparata alteri generi, quod est adiectivorum adfinitate quadam coniunctorum.

His fere absolvimus quae hoc loco dicenda erant de usu particulae *que.* Sed antequam de *atque* loquar, unus adhuc locus proferendus et, si prospere cedit coniectura, emendandus est, quia duo quae ibi inveniuntur adiectiva copulata, nihil habent rationis cur copulentur. In his verbis n. q. VI 32, 3 *ingenti itaque animo mors provocanda est, sive nos aequo vastoque impetu adgreditur, sive cotidiano et volgari exitu,* nullam video viam quam quis feliciter ineat ad expli-

candum *aequo vastoque.* Melius iam intellegeretur *iniquo vastoque.* Atque tale aliquid ponendum esse docent sequentia verba *cotidiano et volgari.* Hauptius quem et ipsum in hoc loco offendisse video, satis probabilem emendationem proposuit, nescio tamen an et aeque facile traditis litteris sese adplicet et melius cum *vasto* consentiat *saevo* quam *caeco.*

Adiectiva contraria inter se copulantur per *atque* (*ac*) locis his:

itinera urbana ac peregrina ep. 31, 10. *externa bella ac domestica* ep. 94, 64. *publicas ac privatas iniurias* di. II 18, 3. d. b. I 10, 2. d. b. IV 4, 2. *in rebus civilibus ac domesticis* di. V 7, 1. *civili ac militari industria* d. b. III 29, 7. *beata ac misera vita* ep. 98, 2. *viam bonam ac malam* di. VIII 1, 3. *sua fata pariter ac publica* ep. 94, 65. *opinio nostra ac sua* d. b. VII 7, 3. *tua simul ac sua gratia* d. XI 9, 5. *superi atque inferi maris* di. I 3, 6. *divini iuris atque humani* d. b. VII 2, 4. *vadimonia sua atque aliena* di. X 7, 2.

Frequens est synonymorum coniunctio per *atque.* Plane eiusdem vocabuli repetitio fit ep. 108, 19 *in alias atque alias formas transeuntium.* Eandem geminationem interposito *atque* 20 locis leges, *que* semel tantum ep. 88, 34 nec saepius *et* n. q. VII 24, 1. Sed etiam si recesseris ab his exemplis, similes notiones multis locis per *atque* copulatas invenies. Quid vero intersit inter illa enuntiata quae exhibeant *que* et haec dicam, caute tamen quae statuenda videtur accipiatur regula. *Atque* ergo tunc ponitur, si altius adsurgit oratio et si praecipua vis inest ipsis adiectivis. At ut ostendam hanc legem non ubique valere, inspiciantur loci hi: *bono ac benigno voltu* ep. 22, 12 vel *memoria segnis ac lenta* ep. 74, 1. quin etiam *placidis atque compositis* habes ep. 99, 20 nec tamen maiore animo his locis scriptor adflatus est. Iam tu ipse memoria repetis *fortia solidaque* et his similia quae supra leguntur enotata, ubi frustra fortiorem particulam *atque* efflagitas. Sed respondebunt voluntati tuae haec: *nomen detestabile ac dirum* ep. 114, 24. *adfectum taetrum ac rabidum* di. III 1, 1. *mens fortis ac vehemens* di. VII 3, 3. *trucem atque horridam faciem* n. q. VI 32, 4. Plura addan-

tur et efficaciora quidem, quia in eodem exemplo eadem particula recurrit. Ad substantivum *vir* et *homo* quae accedunt adiectiva laudibus illum ornantia per *atque* conserta sunt: *vir fortis ac strenuus* ep. 9, 19. ep. 22, 7. ep. 77, 6. *homo fortis ac strenuus* d. b. V 24, 2. quae vocabula aliter coniuncta non vidi. Praeterea

vir magnus ac iustus di. V 28, 6. *vir fortis ac iustus* (nam ita legitur, non *et* in P et b, p in hac parte desideratur) ep. 76, 28. *optimum ac fortissimum virum* di. XII 2, 4. *vir fortis ac sapiens* ep. 24, 25. *vir magnus ac prudens* ep. 78, 10. *sapienti ac probo viro* ep. 51, 2. *ille vir sincerus ac probus* ep. 73, 4. *nedum homo perfectus ac sapiens* ep. 83, 17. Contra *religiosus homo sanctusque* di. IX 11, 2.

Pari modo adiectivum *durum* cum altero per *atque* (*ac*) coniungitur

durum ac difficile ep. 20, 13. ep. 66, 15. di. I 2, 4. *que* non item invenies in horum adiectivorum compositione. praeterea *durum ac laboriosum ingenium* ep. 52, 7. (sic iterum P et b deficiente p). *panis durus ac sordidus* ep. 18, 7. *imperium iniquum ac durum* d. b. III 38, 2. *nihil tam terribile ac durum* di. XII 5, 6. *haec dura atque intoleranda credimus* ep. 71, 23. *dura atque aspera* ep. 98, 3. *regnum durum atque invictum* di. VI, 10 6. *dura atque horrida veste* ep. 18, 5. *durum quiddam atque horridum stridens* di. V 3, 6. *cor durum atque patiens* n. q. IV 13, 11. *de solidis quidem ac duris loquor* n. q. III 25, 7. Contra *duri infestique animi* d. b. VII 31, 1.

Aliis etiam nominibus adicitur *magnum* adiectivum coniunctum per *atque* (*ac*) cum simili vocabulo. Sic *animus magnus ac sacer* ep. 41, 5. *formosus animus ac magnus* ep. 66, 3. *rem magnam ac seriam* ep. 40, 3. *magni ac secreti boni* ep. 49, 6. Non adtributive sed praedicative ut barbare loquamur dictum est *magnus atque animosus exclama* ep. 110, 18.

De logica ratione quid iudicemus cum iam significarim, in arguta et subtili talium locorum disquisitione non immorabimur nec congerendis exemplis quae nova et diversa a prioribus per *atque* adici ostendant, tempore et charta abutemur. Ad singulas quasdam res animum dirigamus. Eadem

adiectiva et per *que* et per *atque* composita raro inveniuntur, quo documento licet uti has particulas quamquam in frequentissimo usu sint, non tamen in promiscuo esse. Exstat quidem et haec et illa particula his locis: *firmis adhuc solidisque corporibus* ep. 95, 15 et d. b. VII 26, 4 *quis est istorum tam firmae mentis ac solidae.* At levius in unum coeunt adiectiva priore loco quam hoc altero, ubi utriusque vocabuli vim per se premi antecedente *tam* indicatur, quod manifestius fiet comparatis similibus locis *tam honestae rei ac severae* ep. 67, 16. *tam tenuis ac solutus* n. q. I 2, 11. *tam multa ac magna* di. X 1, 2. Aequali modo discriminantur inter se *unus idemque* et *unus atque idem.* Illud legis di. II 6, 3 *non est quod dubites an homo natus unus idemque inter diversa sit*, et di. XI 14, 5 *quid referam Aemilianum Scipionem, qui uno paene eodemque tempore spectavit patris triumphum duorumque fratrum funera.* Nemo certe erit qui oratoriam quandam vim huic alteri loco inesse neget, non minus tamen certum est debilitari adfirmationem addita voce *paene.* Firma contra ac certa vis et concitatio orationis, ut puto, conspicitur hisce locis: *at mehercules ista sollicite scrutata varieque condita cum subierint ventrem, una atque eadem foeditas occupabit* ep. 110, 13. *adeo non potest dubitari, an quale illud sit, tale hoc sit* (sapere scilicet et sapientem esse), *ut quibusdam utrumque unum videatur atque idem* ep. 117, 8 [1]). Oppositione personarum insignis est tertius locus d. b. V 8, 3 *neque enim alius dat quam accipit, sed unus atque idem.* Minus tale discrimen conspicuum est in his exemplis: *multas ac varias voluptates* ep. 69, 4. *m. ac v. errores* d. b. I 1, 1. contra *multae variaeq. facies* n. q. I 1, 2. *m. variiq. cometes* n. q. VII 17, 3. *m. variiq. colores* ep. 121, 5. Non omitto tamquam clausulam adiungere locum qui insolitum in his adiectivis dissolutionis exemplum exhibet d. cl. II. 2, 2 *multas voces magnas sed detestabiles.* Sed lenitur offensio interiecto substantivo et oppositione

---

[1]) Non legitur apud Senecam *tantum abest ut-ut.*

adiectivorum *magnas* atque *detestabiles.* Adiectiva *publicum* et *privatum* modo hac modo illa particula coniungi mox videbis, item pauca alia tum cum quemadmodum duo superlativo gradu posita adiectiva copulentur, indicabimus.

Miro modo ad solam altitudinem fluminis designandam conciliantur adiectiva *altum* et *profundum* n. q. IV 2, 8 *hinc iam manifestus novarum virium Nilus alto ac profundo alveo fertur, ne in latitudinem excedat, obiectu montium pressus. Altum* non idem hic significare quod identidem in verbis *altum mare* i. e. *late patens* additis verbis *ne-pressus* apparet. Solent autem alias in hac quidem ratione nullo discrimine facto adhiberi adiectiva *altum* et *profundum,* ita ut iure quis miretur eorum compositionem. Sed qui scit quam parum pressus sit Seneca et nimis redundans, vel hac ex causa hoc loco non offendetur. Quid quod similiter verba quae communi dicendi consuetudine non distinguuntur conligavit ep. 16, 6 *si repentina ac subita dominantur?* Attamen si accurate sensum verborum aestimamus, gradationem fieri intellegemus ita ut illud generatim altitudinem describat, hoc immensam eam esse adiciat. Quo fit ut sine offensione legas n. q. VI 24, 3 *altitudinis profundae maria* aut ep. 21, 5 *profunda supra nos altitudo temporis veniet.* Idem hoc etiam apud Livium (XXXVIII 23) et apud Tacitum (ann. II 61) legitur, at illius dictionis exemplum alterum non inveni.

Iam persequemur paucis inlustrare id quod breviter supra attigimus dicentes litteram in principio verborum positam aliquid facere ad particulae electionem. *Ac* legitime scriptum esse in verbis *fortis ac strenuus* complura exempla docuerunt. Item non *que,* sed *ac* adhibitum est his locis

utile ac salutare ep. 11, 8. et ep. 113, 26. *utile ac salutare* ep. 86, 10. *siccum ac sobrium* ep. 18, 4. ep. 114, 3. vel *sobrium ac siccum* di. VII 12, 4. *sanctum ac sacrum* d. b. I 10, 2. *solida ac sempiterna* ep. 74, 16. *splendidis ac sonantibus* ep. 114, 14. *sanum ac salubre* ep. 8, 5. *sanum ac sincerum* (sic Haasius recte ut videtur pro *s. ac siccum*) ep. 66, 6. *stultum ac supervacuum* ep. 102, 4. *in solido ac sereno* d. b. VII 1, 7. *sterile ac squalidum* n. q. IV 2, 9. *spissum ac solidum* n. q. VII 26, 1.

Si qui erunt qui putent *ac* positum esse quo magis efferatur vis et gravitas verborum, contra dici potest in parte tantum exemplorum maiorem vim adparere. Nec minus a vero aberit is qui cum identidem utrumque adiectivum ab eadem littera *s* videat incipere, inde in his *ac* particulae petat causam. Inane tale commentum esse cum aliis tum tribus huius ipsius litterae *s* exemplis coarguitur; habes enim *que: in tristitia supervacua stultaque* di. XII 16, 7. *splendidis sordidisque* ep. 44, 5. *loca seria sanctaque* ep. 51, 10. Immo non geminatam *s*, sed simplicem in causa esse copia exemplorum verisimile fit. At ut videatur quam parum constans sibi sit auctor, e contraria parte adfertur adiectivum *solidum*, quod per *que* cum diversis adiectivis coniunctum est ep. 56, 11. ep. 72, 5. ep. 95, 15. di. IV 15, 1. d. b. IV 5, 2. per *ac* semel d. b. VII 26, 3.

D quoque particulae *ac* favere his locis conligitur: *durum ac difficile* ep. 20, 13. ep. 66, 15. ep. 90, 15. *detestabile ac dirum* ep. 114, 24. *diversis ac dissidentibus* d. b. II 29, 2. *distentum ventrem ac desuetum iam ventris officio.* ep. 47, 2. His quod opponam repetitae litterae *d* exemplum non habeo. At quinque insuper locis idem adiectivum *difficile* alii adiectivo per *ac* adiunctum vidi ep. 111, 4. di. VI 23, 4. di. IX 2, 7. d. b. II 17, 7. d. b. VI 43, 1.

Item iteratae *p* litterae exemplis probari videtur, quamquam pars eorum *que* particula insignis est, aliam alia litteram gratiorem esse voci *ac*. Illa enim his locis legitur

publicae privataeq. curae di. IX 1, 11. *propiorem planioremq.* ep. 33, 11. *proficienti provectoq.* ep. 35, 4. *perditae vitae perituraeq.* ep. 48, 8. *prudentissimis piissimisq.* di. XI 7, 4. at haec his: *privatum ac publicum* di. I 5, 7. d. b. I 10, 2. d. b. IV 4, 2. *publicum ac privatum* di. II 18, 3. *potentius ac pretiosius* ep. 65, 23. *proprium ac peculiare* ep. 122, 9. *prior ac potior* d. b. VII 19, 9. *placidi ac propitii* d. b. VII 31, 4.

Iam vero ut eis qui in concentu primarum litterarum momentum ponant prorsus error eximatur, ei proponantur loci ubi duo adiectiva vel ut haec in censum adsumam, par-

ticipia composita cum voce *in* copulantur. Undecim locis exstat *que*: di. II 6, 5. di. II 6, 7. di. III 8, 7. di. IV 35, 5. di. VI 7, 4. di. VII 4, 4. di. IX 10, 6. di. X 9, 4. n. q. III pr. 13. duobus *atque* ep. 56, 9. ep. 71, 13.

Attulimus supra eos locos, ubi per *ac* prioribus adnexum est substantivum *libido* idque propter litteram *l* factum esse probabile nobis visum est. Quae sententia robur accipit altero exemplo in quo non minus legitimum est *ac*. Adiectivum *liberum* dico, quod ita coniunctum compluribus locis obviam est.

exauctoratus ac liber ep. 32, 5. *in corpore valido ac libero* ep. 66, 22. *integros ac liberos* ep. 94, 56. *securum ac liberum* ep. 118, 3. *solutus ac liber* d. b. II 18, 5. *strictam ac liberam* d. b. IV 37, 3. *ex Macedone ac libero* di. V 17, 1. *altus ac liber* di. V 36, 2.

Uno tantum n. q. loco V 15, 3 consentientibus codicibus B et E legitur *liberoque*, tamen ut extra omnem dubitationem eum positum esse non putaverim. Sunt verba haec *ante Philippum Macedonem reges fuere, qui pecuniam in altissimis usque latebris sequerentur et recto spiritu liberoque in illos se dimitterent specus in quos nullum noctium dierumque perveniret discrimen.* Plura in his offensionem habent. Primum *demitterent* pro *dimitterent* legendum, deinde verba *in altissimis usque latebris sequerentur*, quae idem sine dubio valent atque *in summam altitudinem descendere* ita mutanda ut scribatur, quod iam Haasius suspicatus est praef. vol. III p. 14 *in altissimas usque latebras.* Nam *usque* esse *perpetuo, adsidue* nemo facile crediderit, cum abhorreat a sermone Annaeano, ut omittam inanem hoc modo effici sententiam. Ad postremum, quo iure Seneca illos recto spiritu liberoque se demittere dixerit, ut eruerem nullo modo mihi contigit. Immo cum alta nocte premantur illi subterranei specus, liberum spiritum relinqui puto ab hominibus qui in illos se demergant. Unice ergo verum iudico quod iam in vetustis editionibus legitur *relicto spiritu libero.*

Ad componenda duo gravioris sensus adiectiva *atque* saepe adhiberi diximus. Hanc ipsam ob causam eadem particula duorum superlativorum coniunctioni prae ceteris inservit nec casu id factum esse inde quoque concluditur, quod hic vocis *atque* usus in eis potissimum Senecae scriptis observatur in quibus *et* abundat rarissimeque ceterae copulae adparent. Sed ut prius plenos numeros dem, *et*, si recte computavi, 24 locis, *que* 33, *ac* 35, *atque* 5 locis invenitur. In universum ergo *ac* particulam multo rariorem esse quam *et* et *que* qui non neglexerit, ex instituto factum credet, ut in huiusmodi sententiis eadem particula istarum numerum excedat. Sed ut ad scripta illa revertar, in Epistulis est locis obviam

6 *et* 1, 3. 76, 29. 81, 82. 84, 12. 109, 16. 123, 16.
8 *que* 31, 10. 60, 3. 67, 6. 72, 11. 81, 22. 87, 41. 91, 15. 117, 12.
16 *ac* 18, 5. 33, 7. 58, 33. 66, 1. 66, 35. 66, 47. 67, 12. 81, 20. 83, 9. 83, 19. 87, 15. 88, 2. 90, 25. 95, 21. 95, 49. 95, 72.
atque 58, 31.

In libris de beneficiis eadem valet ratio, nam *et* 2 tantum locis exstat IV 18, 2 et VI 33, 4.

5 *que* I 1, 2. II 18, 2. V 12, 6. VII 3, 2. VII 9, 2.
9 *ac* II 10, 4. III 3, 1. III 17, 2. III 33, 2. III 34. IV 7, 1. IV 9, 1. V 17, 1. VI 10, 2.
2 *atque* III 5, 2. IV 32, 3.

Quae in hoc numero haud raro occurrunt notiones contrariae, per *et* commissae sunt nusquam, per *ac* quinquiens: *maxima ac minima* di. VI 18, 3. di. XII 8, 3. *prima ac maxima* d. b. III 34. *ima ac summa* ep. 90, 25. n. q. II 4, 1, ubi *ac* ante *s* conlocatam animadvertes. Plerumque vero haec verba coniuncta sunt per *que*, quam copulam vidimus solere hoc munus sustinere. Sic *summum* et *imum* et hoc quidem ordine per *que* copulata sunt ep. 72, 11. 91, 15. n. q. II 10, 2. *minimum* et *maximum* di. IX 8, 2. di. X 15, 2. n. q. II 7, 2. d. b. II 18, 2. *ad maximos imosque*

d. cl. I 1, 9. *longissimi brevissimique aevi* di. VI 21, 3. Rarissima si non unica coniunctio est quae legitur d. b. IV 7, 1 *Jovem Optimum ac Maximum.*

Tum quoque maiore in usu est *ac* quam *que*, si superlativus et positivus duorum adiectivorum gradus coniungitur, ut fit ep. 92, 7. 94, 35. 94, 50. 117, 21. di. II 2, 1. di. VI 17, 3. di. VII 10, 2. d. b. I 14, 1. *atque* ep. 24, 6. ep. 24, 25. cum his confer etiam *serpentibus ac noxiosissimo cuique animali* d. cl. I 26, 3. rarius in huiusmodi enuntiatis est *que*: di. II 8, 2. di. IX 7, 5. n. q. III 28, 6. n. q. VII 10, 3. ep, 67, 6. d. b. V 15, 2. Ubi vero non superlativorum par conectitur, sed aliud orationis membrum a superlativa adiectivi forma incipit, hic progressus, quo firmior sit contextus verborum, fit *que* particula, velut ep. 18, 12 *aliquos dies destina, quibus secedas a tuis rebus minimoque te facias familiarem.* Similia sunt ep. 59, 8. ep. 113, 30, di. IV 5, 3. di. V 30, 5. d. b. IV 13, 1. d. b. VII 2, 2. d. b. VII 20, 3. n. q. II 6, 2. n. q. IV. 2, 21.

His adiungi placet quae de coniunctione duorum comparativo gradu positorum adiectivorum observavi. Ut illum gradum particula *ac*, sic hunc *que* sui iuris fecit. Deinde raritatem *ac* particulae si respicis, licet ea eodem fere numero occurrat in huiuscemodi enuntiatis quo *et*, tamen pro portione frequentiorem eam esse dicendum est. Causam vero si quaerimus cur *que* potius quam *et* et *ac* has formas adnectat, ea esse videtur, quod dulcior hoc modo atque auribus gratior efficitur conclusio verborum. Omnibus igitur computatis locis particulae *que* 65 habes exempla, *et* 27, *ac* 24, *atque* 2.

Cum discesseris a beneficiorum libris ubi cuiusque copulae numerus fere par est, nam *et* 4, *que* 5, *ac* 6 locis exstat, in reliquis scriptis longe maior est copia exemplorum *que* exhibentium. Hoc ut uno quidem exemplo comprobemus, sumamus opus de clementia scriptum, quod quamquam cum libris de beneficiis eodem codice Nazariano con-

tinetur, multo tamen maiore cura compositum videtur. Deprehendes in hoc opere ex parte tantum servato

noviens *que* I 1, 6. 1, 9. 5, 4. 7, 2. 11, 3. 17, 2. 19, 1. 26, 5. II 5, 3,
bis *et* I 16, 4. II 5, 3.
semel *ac* I, 13, 2.

Praeterea quod de *ac* dixi adhibitum id esse ubi unus solum superlativus adparet, id in hac ratione multo certius de *que* adfirmari licet, quod cum in comparativi atque positivi gradus coniunctione tum in continuatione orationis per comparativam formam facta praeponderat. Triginta circiter locis sic *que* usurpatum est, raro *ac*. Atque complura quidem huius generis exempla proponam ubi de adverbiorum ratione disseretur. Hic tamen ne plane testimonia desiderentur, ei loci in medium prodeant qui comparativum *maior* ostendunt: ep. 77, 2. ep. 120, 6. di. II 12, 2. di. VII 26, 2. d. b. VI 23, 4. non inveni *ac*. comparativi *plus* exempla sunt haec: di. X 4, 6. n. q. VI 20, 5. d. cl. I 21, 2. *ac plurium* di. VII 14, 2.

Tertium denique genus exemplorum quo docemur *que* artiore vinculo cum comparativo gradu coniunctum esse, ibidem ubi de adverbiis agam invenies, quippe quia illis locis *que* non ad ipsum comparativum adligatum est, sed ad adverbia quae ad definiendam vim comparativorum adhibentur, *multo* dico et *quanto* et *tanto* et *quo* et *eo*.

V.

Progrediatur disputatio nostra ad describendum usum quem in adiungendis pronominibus per *que* et *atque* particulas observaverit Seneca. Ac rarissime quidem usurpatur *atque*.

unus atque idem ep. 110, 13. ep. 117, 8. d. b. V 8, 3.
idem velle atque idem nolle ep. 20, 5. ep. 109, 16.
atque ipse d. b. III 27, 1.
haec atque eiusmodi ep. 91, 13. ep. 108, 12. d. b. II 25, 1.

contra *haec et eiusmodi* ep. 4, 9. ep. 54, 6. ep. 114, 20. *haec et huiusmodi* ep. 120, 8.

Ac se legitur ep. 21, 5. ep. 92, 30. n. q. V 13, 3. n. q. VI 1, 5. *ac secum* n. q. VI 7, 4.

ac sibi ep. 81, 23. ep. 98, 8. d. b. II 14, 2. n. q. I 16, 3. n. q. III pr. 3.

ac sui ep. 90, 40.

ac te ep. 13, 6.

ac tibi n. q. III pr. 17.

tot ac talis lud. 10, 3. ep. 108, 38, qui posterior locus mendo nondum videtur purgatus esse. Sunt quidem verba ut leguntur in codice B haec: *dixit illa Platon, dixit Zenon, dixit Chrysippus et Posidonius et ingens agmen non tot ac talium. quomodo probare possint sua esse monstrabo: faciant quae dixerint,* quae ut sana efficeretur sententia ita mutanda duxit Haasius *dixit — Posidonius: at ingens agmen [non] tot ac talium* sqq. Nec tamen apte homines illi animosa philosophorum dicta iactantes simulque sordidam vitam agentes *tot ac tales* vocantur, quae verba ad laudem semper spectant. Madvigius autem verba *et ingens agmen tot* sive *non tot ac talium* perversa esse ratus, quia quattuor homines non recte agmen dicantur, sic scripsit *et ingens agmen non totum talium* (sed etiam minoris praestantiae et auctoritatis hominum) futilem ni fallor et inutilem hoc quidem loco philosophorum discriptionem instituens. Contra quattuor nominibus editis ceterorum virorum non minus nobilium numerum illis verbis adiecit Seneca, quae recte sese habebunt, si pro *non* restitueris *nominum,* quod per compendia scriptum originem voci *non* dedisse videtur.

Ac praeterea haud raro a Seneca adhibitum est ad componendum pron. poss. subst. cum eiusdem personae pron. poss. adiect., qua vice alias fungi solet *que* (cf. Draegerum p. 36). Sed ut plenum habeas locorum conspectum, legitur
se et sua n. q. II 45, 3.
se suaq. ep. 23, 8. ep. 74, 20. d. b. II 26, 1. d. cl. I

3, 4. *finem sui suorumq.* ep. 71, 14. *salutem suam suorumq.* ep. 118, 4.

se ac sui d. b. VI 30, 6. di. XI 1, 3. di. XII 5, 2. *sibi ac suis* ep. 42, 2. ep. 87, 17. *vos ac vestra* di. VII 28. *suo ac suorum malo* n. q. V 18, 11. *se ac suum commodum* d. b. IV 3, 2.

Que habes his locis: *seque* d. b. VI 13, 1. di. IX 11, 1. *teque* ep. 92, 1. ep. 95, 3, di. VI 17, 1. n. q. I 6, 3. Et quattuor quidem locis pronomen pronomini oppositum est *me teque* ep. 92, 1. n. q. I 6, 3. *me seque* d. b. VI 13, 1. *alios teque* di. VI 17, 1. *se aliosque* di. IX 12, 4. di. X 14, 3.

Adiectivum *suum* cum *que* compositum legis praeterea ep. 20, 10. d. cl. I 1, 1. d. cl. I 14, 2. d. cl. I 26, 4. cum *ac* ep. 21, 2. ep. 90, 28. di. XI 9, 5. d. b. VII 6, 3. d. b. VII 7, 3.

Omnem autem locorum summam si computaveris, numerum exemplorum in quibus *ac* ante *s* legitur circiter altero tanto maiorem esse videbis. Itaque quod opinati sumus litterae *s* favere *ac*, his quoque exemplis firmari videtur.

At pronominum *ipse* et *is*, quae cum *que* identidem coniuncta leguntur, exempla adferre supersedeo. Unum tantum exemplum quod huic numero adiecerim, indicetur, di. II 6, 3, ubi codicis Mediol. scriptura haec est *nec quicquam suum nisi se putet esse quoque ea parte qua melior est.* Recte quidem recusavit Haasius Fickerti mutationem *eaque*, sed quod ipse coniecit *id quoque*, placet insertum *id*, displicet defensum *quoque.* Qua de causa ne Madvigio quidem adsentior *se quoque* scribenti. Accuratiori enim priorum verborum definitioni aptum solum videtur esse *idque.*

Si eis quae de persona vel re diximus, novum aliquid quod in eandem personam vel rem cadat adicimus, repetere illam solemus per pronomen *idem.* Cuius generis sunt d. b. III 24 *imperavit medico eidemque servo suo.* n. q. VI 14, 4. *aer tenuissimus idemque fortissimus.* Non autem unum vocabulum, sed totum enuntiatum adiectum est n. q. V 18, 2 ubi de ventis dictum est, *ut imbres terris subministrarent iidemque*

nimios compescerent, cui exemplo adiungas ep. 76, 10. ep. 85, 20. ep. 98, 3. di. I 1, 4. di. XI 15, 1. di. XI 18, 1.

Pronominis *hic* unum tantum exemplum deprehenditur di. V 34, 1 *horumque.* Nam quod alterum olim legebatur *hisque* n. q. IV 2, 29 correxit Madvigius codicis E scripturam *quod nisi facit his — redderetur* ita mutando *quod nisi facile his redderetur.*

Cum pronomine relativo saepe copulatur *que.* Multo tamen maior est numerus exemplorum ubi repetitum pronomen adiungitur per *que.* Nam simplex pronomen legitur tantum ep. 90, 4. ep. 90, 17. ep. 95, 43. di. II 9, 2. di. IV 23, 1. n. q. III pr. 5. iteratum autem ep. 71, 15. ep. ep. 82, 14. ep. 90, 24. ep, 104, 11. ep. 109, 16. ep. 113, 3. ep. 124, 3. d. b. IV 1, 2. d. b. V 15, 5. d. b. VI 23, 8. d. cl. I 1, 2. d. cl. I 1, 6. d. cl. I 18, 1. d. cl. II 1, 3. di. V 7, 2. di. VI 15, 2. n. q. VI 1, 10. n. q. VI 27, 3.

Atque interdum in tales formas incides quas Draegerus p. 34 reprehendere videtur, quia propter similitudinem inter eas et alias formas pronominales intercedentem in errorem abducant legentem, *quique* dico (ep. 90, 4) et *quaeque* (ep. 95, 43. di. II 9, 2). Quae tamen errandi occasio minima atque adeo nulla est eadem aut alia pronominis forma praemissa nec Senecam hoc periculum fugisse exempla docent *quibus-quaeque.* d. cl. I 1, 6. *quae-quaeque* ep. 71, 15. ep. 113, 3. *qui-quique* n. q. VI 1, 10. n. q. VI 27, 3. *quae-quaeque-quaeque* d. cl. II 1, 3. Attamen *cuique* non memini me legisse.

Gravius autem est quaerere, utrum repetitum pronomen ad eandem personam vel rem an ad aliam respiciat. Et plerumque quidem illud fit, hoc d. cl. I 1, 2 *in mea manu positum est....... quos reges mancipia fieri quorumque capiti regium circumdari decus oporteat* et ep. 71, 15 *omnes, quae usquam rerum potiuntur urbes quaeque alienorum imperiorum magna sunt decora.*

Quattuor denique geminati pronominis exempla restant insignia rarissima responsione particulae *que*: *quaeque fecit quaeque facturus est* d. cl. I 13, 3. *ille venator, quique insti-*

tuit catulos vestigia sequi quique iam exercitatis utitur d. cl. I 16, 5. *omne humanum genus, quodque est quodque erit* ep. 71, 15. *homines, quique sunt quique erunt*, di. VIII 6, 4. Quintum porro exemplum Senecae tribuit Gertzius d. cl. II 1, 3 e scriptura codicis N *gentesq.* et volgata *gentes quae* fingens *gentes quaeque* me non probante, quia praeter necessitatem tam rarae dictionis exemplum scriptori inferre non debemus.

Componuntur interdum pronomina ad qualitatem spectantia velut *tot* et *talis*, quae ipsa ubi per *ac* coniuncta legerentur iam indicavimus. Addantur ea exempla in quibus *que* positum est: *tot tantorumq. beneficiorum* d. b. II 29, 3 *tot tantosq. luctus* di. XI 15, 3. *quid sint di qualesq.* ep. 90, 28. *quid sit clementia qualisq.* d. cl. II 3, 1. *qualis quantusq.* ep. 76, 32. ep. 93, 8. *quanti qualesq.* n. q. VII 25, 7.

VI.

Praepositionibus raro Seneca adicit *que* et *atque* (*ac*) particulas atque hoc inter eas facit discrimen, ut *que* ponat in fine bisyllabarum, *ac* et *atque* uno excepto loco monosyllabis praeponat. Ea vero lex quae olim observabatur, ut cum praepositionibus tum solum coniungeretur *que*, si repeterentur ac plurium syllabarum essent, cum iam inde a Livii temporibus neglegi coepta est, tum a Seneca ita repudiatur, ut repetitae praepositioni bis tantum adnectat: *supra-supraque* ep. 80, 8. *inter-interq.* d. cl. II 4, 4, aliam autem praepositionem praemittat ter: *supra-circaq.* d. b. IV 19, 2 et di. VII 20, 5. *in-circaq.* n. q. IV 1, 1. Praeterea habes *interq.* d. b. I 1, 9. di. VI 25, 1. ep. 93, 8. *supraq.* ep. 95, 10. di. V 6, 6. *contraq.* d. b. IV 18, 1. *superq.* ep. 115, 4.

Ultra primum enuntiati verbum traiectum est semel tantum idque eo consilio, ne legeretur compositum cum praepositione monosyllaba *ex mollissimoque tabes est* n. q. IV 2, 21.

Ac cum abhorreat a vocalibus et gutturalibus raro usurpatur, ante eas imprimis praepositiones quarum prima littera est *p* aut *s*. Sic *ac sine* ep. 40, 8. di. IV 12, 4. di. XII 3, 1. *ac sub* di. II 11, 3. *ac per* ep. 84, 3. di. V 2, 4.

di. V 33, 3. di. VII 12, 1. d. b. III 36, 3. *ac pro* d. cl. I 19, 3. di. VII 14, 3. Unus contra locus ab his discrepat litteris *de se ac de republica* di. IX 16, 1. Atque bisyllabae praepositioni antecedit *ac* n. q. VII 1, 4 *si quid perturbatum est ac praeter consuetudinem emicuit.* sic enim est in E, in B *aut.*

Pleniori vero formae *atque* natura quidem non constituti sunt termini extra quos egredi nequiret, cancellos tamen circumdedit usus, qua de re nihil est quod mireris, cum raro maius pondus insit praepositioni. Et Seneca quidem intra eos se continuit fines, ut praeterquam ante praepositiones *in* et *ex* hac particula non uteretur; *atque in* ergo legitur ep. 56, 10. ep. 82, 2. ep. 90, 38. ep. 93, 4. ep. 114, 14. di. VII 5, 2. di. VII 8, 3. d. b. VII 7, 1. n. q. IV 3, 5. n. q. VI 13, 1. *atque ex* di. III 5, 1. di. VII 4, 4. n. q. IV 1, 2.

VII.

Ad coniungenda duo adverbia saepius *que* quam *ac* adhibetur, cum tantum non remotum ab hoc usu sit *atque.* Ac primum quidem certae quaedam formulae in quibus fere semper *que* usurpatur, cum apud ceteros scriptores, tum apud Senecam quoque exstant, cuius generis sunt *diu multumque* d. b. II 5, 1. di. III 11, 8 et inverso ordine *multum diuque* d. cl. I 14, 3. di. III 11, 7. ep. 11, 6. ep. 20, 10. Legitur porro, tamen non omni dubio exemptus est locus, n. q. III 18, 4 ubi agitur de mullo, qui in vas vitreum coniectus inter ipsam cenationem animam agens summum spectantibus gaudium adfert colorum variatione. Is autem *ubi multum ubique laudatus est, ex illo perlucido vivario extrahitur.* Sic E consentiens cum ceteris codd. in voce *laudatus*, solus vero habet *ubique*, quod defendi nequit, quamquam Fickertus tenuit. Receptum igitur ab aliis editoribus e ceteris codd. *diuque,* quod ferendum videtur. At quod Haasius probante H. C. Michaeli coniecturam Trilleri *luctatus* pro *laudatus* scribentis, satis acutam eam nec tamen necessariam, recepit, non

probo, quia multo elegantius et aptius, cum perversam luxuriam castigat scriptor, invehitur in eos quibus cruciatus piscis voluptati sunt quique spectaculum illud nullo tamquam sua sponte id faciat, laudi vertunt.

His interiectis pergamus enumerare similes compositiones, velut *longe lateq.* d. b. V 13, 1. n. q. VII 26, 2. *late longeq.* ep. 51, 11. di. V 16, 4. *satis abundeq.* ep. 59, 10. ep. 88, 16. ep. 90, 16. d. b. VII 25, 2. *publice privatimq.* ep. 75, 15. di. VI 15, 4. *privatim publiceq.* di. VI 3, 2.

Atque talibus formulis sollemnibus Draegerus inductus videtur, ut particulae *que* ius copulandorum adverbiorum eorum quae ad similitudinem adiectivorum accederent, fere denegaret. Hanc enim legem ponit p. 40 atque unum tantum exemplum huius usus e Ciceronis pro Quinctio oratione 15 adfert *tacite obscureque.* In Senecam quidem illa regula non valet, in cuius libris novem haec exempla leguntur:

temere inconsulteq. d b. I 1, 1. *foede furioseq.* d. b. II 12, 2. *tranquille modesteq.* ep. 14, 11. *apte tempestiveq.* ep. 22, 16. *recte pieq.* ep. 76, 29. *grate modesteq.* ep. 98, 3. *animose fortiterq.* di. I 4, 5. *palam aperteq.* di. V 1, 1. *recte blandeq.* di. V 40, 2.

Qui numerus octo aliis exemplis augetur in quibus adverbia comparativo gradu posita sunt:

lucidius tranquilliusq. ep. 76, 16. *facilius rectiusq.* di. IV 13, 3. *mollius delicatiusq.* di. V 9, 1. *neglegentius solutiusq.* n. q. VI 30, 4. *mollius crebriusq.* n. q. VI 31, 3. *violentius celeriusq.* n. q. VII 9, 3. *plenius uberiusq.* d b. III 17, 4. *citius meliusq.* d. cl. I 17, 2.

Ac autem et *atque* hoc modo usurpata non inveniuntur uno excepto loco n. q. VII 23, 2 ubi id quod codex E praebet *plenius ac malignius* tenendum videtur, de quo loco plura infra dicentur.

Rarior omnino est particula *ac* rariusque eadem ratione qua *que* in certa quadam verborum compositione invenitur. Nam praeterquam quod quater *sursum ac deorsum*, *bis forte ac temere* legitur d. b. I 15, 1 et d. b. IV 19, 3, plus semel non occurrunt cetera exempla haec:

clare ac palam di. VII 10, 1. *dubie ac parum* d. b. IV 16, 3. *ubique ac statim* d. b. VII 2, 1. *cito ac repente* n. q. III 27, 2.

Paulo iam amplior est numerus eorum exemplorum quae duo adverbia ab adiectivis derivata exhibent; quae siquis inspicere volet, his inveniet locis: ep. 98, 3. ep. 119, 15. ep. 120, 10. d. b. II 14, 2. d. b. II 32, 1. d. b. V 21, 3. d. b. VII 1, 4. d. cl. I 13, 4. d. cl. I 26, 5. n. q. IV 13, 4. n. q. VI 7, 3.

Verum *atque* in huiusmodi exemplis fere locum non habet nec praeter ep. 120, 18 *honeste atque industrie* exstat.

Alia autem res est in eiusdem verbi repetitione. *Que* legitur bis in formula *iam iamque* d. b. VI 3, 2 et di. VII 26, 3; *aliter aliterq.* n. q. II 32, 7. n. q. IV pr. 22, *magis magisq.* n. q. III 27, 7; in qua vocis *magis* geminatione usitatum esse *que*, rarum *ac* Draegerus praecipit p. 36. Saepius tamen apud Senecam quidem legis *magis ac magis* ep. 114, 25. di. V 1, 4. d. b. II 14, 4. n. q. III 25, 12. Praeterea *propius ac propius* di. V 42, 4.

Ad postremum *atque* legitur in formulis *aliter atque aliter* ep. 27, 9. ep. 89, 5. di. II 18, 3. n. p. VI 16, 1. *aliubi atque aliubi* ep. 35, 4. d. b. III 6, 2. *alio atque alio* di. X 11, 2. *etiam atque etiam* d. b. III 14, 2.

Claudant agmen adverbia contrarias regiones designantia, qualia sunt *hinc atque illinc, ultro citroque* similia, quae modo interposita particula modo omissa, modo per hanc modo per illam particulam copulata leguntur. Accuratius tamen si quis in rem inquirit, rariorem discet esse dissolutionem quam copulationem. Deinde ad componenda adverbia a pronominibus demonstrativis *hic* et *ille* derivata, *atque* et *et* videbit adhibita, eo tamen discrimine, ut *atque* regnet in formula *hinc atque illinc*, *et* in adverbiis *huc et illuc;* contra *que* particula propria est compositionis *ultro citroque*, *ac* denique huius *sursum ac deorsum*, quod propter *d* litteram factum suspiceris.

Atque his de tota ratione dictis singulos proponamus locos, incipientes a verbis *hinc atque illinc*, quae hoc ipso

modo coniuncta sunt ep. 120, 16. n. q. I 2, 9. di. X 12, 3. d. b. VI 31, 7. d. cl. I 7, 2. At ep. 52, 13 cum optimi codicis p. fide destituamur nec ceteri inter se consentiant, quid scribamus in dubio haeremus. Praeferendum tamen videtur quod iam Schweighaeuser edidit quodque simplici stilo aptissimum est *hinc atque illinc*

hinc et illinc ep. 13, 1; *hinc illinc* di. VII 25, 3.

hinc et inde n. q. III 16, 4.

huc et illuc d. b. VI 2, 2. ep. 74, 3. di. X 7, 10. di. X 12, 6. n. q. VI 23, 4.

huc atque illuc di. XII 11, 7. ep. 56, 7. ep. 90, 24.

huc illuc d. b. V 25, 5. ep. 28, 3.

Tertia formula ab errore editorum vindicanda est. Miro enim modo ubicunque *hoc* et *illo* coniuncta leguntur, genuina hac atque tralaticia lectione reiecta falsam formam *huc* Senecae adsignarunt. Primus codicum auctoritatem defendit Gertzius d. b. V 6, 5, plura huius usus exempla se vidisse in adnotatione addens. Nec ulli dubitationem remansuram puto qui hunc numerum percensuerit. Nazariani igitur codicis testimonio adiuvatur lectio *hoc et illo* d. b. V 6, 5. Item *hoc et illo* adeo omnes codices exhibere dicit Fickertus ep. 84, 2.

hoc atque illo est n. q. VI 14, 4. quo loco licet non plene congruant B et E, in *hoc* tamen concinunt, E enim praebet *hoc atque illo*, B *hoc atque illuc.*

Opem praeterea nobis ferunt loci duo, n. q. II 11, 2 *aut hoc aut illo*, ut in E et B, et n. q. V 1, 1 *neque hoc neque illo,* ut in E legitur, contra B habet *nec hoc nec illo.*

Ne illud quidem ego adfirmaverim *hoc* formam removendam esse ubi auxilium non capiat ex addito vocabulo altero. Nam quamvis n. q. VII 21, 4 traditum sit *huc itaque descendit,* et n. q. III 18, 3 *huc adferatur,* tamen *hoc*, non *huc* in codd. est di. VI 11, 2 *hoc vadit,* itemque di. IX 9, 6 *honestius hoc* (i. e. in comparandos libros) *se impensae quam in Corinthia pictasque tabulas effuderint.* Optime quidem *se*

pro *te* scripsit Hauptius, *hoc* tamen ut in *huc* mutetur necessarium non videtur.

sursum ac deorsum ep. 96, 5. di. I 5, 9. di. IX 11, 12. n. q. VI 21, 2.

sursum deorsum ep. 44, 4.

ultro citroque ep. 72, 7. n. q. IV 2, 29. n. q. VI 13, 6.

ultro citro d. b. V 11, 1.

Dictum est de coniunctione duorum adverbiorum, transgrediamur iam ad eos locos tractandos ubi unum occurrit adverbium.

Adeo igitur cum *que* compositum identidem reperitur. *Ideoque*, quod apud Quintilianum legitimum esse videtur, quippe in libris X et XI 28 locis *ideoque*, nusquam *et ideo* aut *atque ideo* legi; frequens quidem est apud Senecam, frequentius tamen *et ideo*, quod ipsum exempli gratia in n. q. 13 locis, contra *ideoque* 7 locis habes. Non legitur *atque ideo*, semel tantum *atque adeo* di. XI 2, 2 *atque adeo ipse hanc litem meam faciam*, ubi *atque* non verba cum prioribus copulat, sed vocis *adeo* vim auget. Nec magis cum *atque* compositum invenies *quam*, cui adverbio *que* adiectum est his locis d. b. III 38, 2. d. b. V 17, 1. di. V 1, 1. di. V 30, 2. n. q. IV pr. 22. n. q. VI 30, 4.

Subsequantur ea adverbia quae saepius cum comparativo adiectivi gradu coniunguntur. In quorum numero tria sunt quae propter vocalem aut gutturalem *ac* particulam respuunt, *eo* scilicet et *quanto* et *quo*. Eandem tamen excusationem non admittunt *multo* et *tanto*. Itaque si in his quoque adverbiis nec *ac* nec *atque* invenitur, sed semper per *que* facta est compositio, causa in comparativo posita esse videtur. Habeas hic conspectum exemplorum:

eoque ep. 63, 3. d. b. III 19, 4. di. VI 22, 2. n. q. II 54, 2. n. q. VII 7, 1.

Nec minus *eoque* positum est ubi coniunctum cum verbo quodam ad finem spectat: *eoque adductus est* di. VI 1, 7. *eoque ferat* di. IX 17, 11. *eoque perduci* d. b. VII 2, 1.

quantoque d. b. I 15, 4. d. b. II 17, 6. d. cl. I 5, 2. di. III 1, 5. di. VII 1, 1.

quoque ep. 17, 7. d. b. II 13, 1. di. VI 21, 7.

multoque ep. 71, 28. d. b. I 7, 2. d. b. II 27, 3. d. b. IV 10, 3. d. b. VII 19, 2. d. cl. I 12, 5. n. q. III 28, 4. di. IX 9, 4.

tantoque ep. 66, 52. ep. 81, 18. d. cl. I 3, 5. di. I 2, 8. n. q. VI 16, 3.

Contra semel *ac paulo* n. q. III 15, 2.

Atque eadem haec particulae *que* ad comparativum gradum inclinatio manifesta est in vocibus *minus* et *magis*. Nam cum *ac minus* semel deprehendatur n. q. I 2, 11, *minusque* legis ep. 31, 4. ep. 95, 30. ep. 108, 10. d. b. II 5, 1. d. b. V 12, 6. *ac magis* autem praeter formulam *magis ac magis* ne uno quidem exemplo inlustratur, at tribus *magisque* ep. 76, 7. ep. 78, 25. n. q. III 22.

Sed ut ipsos comparativos inspiciamus, singulis adverbii comparativis, quod quidem ortum sit ex adiectivo, *que* et *ac* perpaucis locis adiciuntur. *Ac* quidem his locis: *ac longius* ep. 40, 7. *ac saepius* n. q. VI 10, 2. *ac vehementius* n. q. V 9, 2.

contra *que*: *longiusque* di. II. 12, 2. d. b. IV 23, 4. *altiusque* di. IX 1, 14. *propiusque* ep. 95, 38. *citiusque* ep. 104, 14. *meliusque* d. cl. I 5, 3.

Superlativorum autem exempla haec sunt: *minimeque* n. q. VII 10, 3. *maximeque* ep. 67, 6. *ac maxime* d. b. II 10, 4.

At cum adverbiis ab adiectivis formatis et positivo gradu adhibitis *ac* quattuor tantum locis copulatum est: *ac molliter* ep. 52, 11. *ac male* ep. 92, 9. *ac longe* d. b. IV 32, 1. *ac tantum* ep. 46, 1. Nec vero in animo est enumerare exempla paululo quidem frequentiora ubi *que* deprehendis. Dignius tantum quod memoretur est adverbium *longe* fere ex lege cum *que* compositum: ep. 94, 73. d. b. V 2, 1. d. cl. I 20, 2. n. q. I 5, 2. n. q. II 32, 1. n. q. II 59, 5. n. q. VI 3, 3. lud. 9, 5.

Restant igitur adverbia non ab adiectivis derivata et plerumque temporis rationem designantia, quorum maior pars exhibet *ac*. Solum quidem *que* adnexum est his adverbiis *interdumq.* di. V 4, 2. *iterumq.* n. q. III 28, 6. n. q. VI 30, 4. n. q. VI 31, 3. *satisq.* ep. 94, 10. ep. 95, 33. *simulq.* di. II 2, 2. *tandemq.* n. q. IV 2, 5. *ultraq.* n. q. III 11, 4. Promiscue autem adhibentur *ac* et *que* his locis: *ac tam* n. q. VII 8, 1. di. XI 8, 2. *tamq.* ep. 98, 10. di. XI 11, 6. Dubia lectio est di. III 1, 6. Nam quod hoc loco scribitur a Fickerto et Haasio *tam horrendum tamque perniciosum* codicis A fide non firmatur, cui inest *tam h. tam perniciosumque,* unde eodem iure efficias *t. h. perniciosumque* aut etiam *t. h. tam perniciosum.*

ac iam ep. 67, 9. d. b. VI 24, 2. *iamq.* ep. 47, 7.
ac vix ep. 110, 13. *vixq.* ep. 95, 61. di. IV 12, 4.
ac paulatim di. I 3, 12. *paulatimq.* di. V 8, 3. di. X 13, 5.
ac semper ep. 11, 8. ep. 19, 8. ep. 25, 5. *semperq.* d. b. VII 1, 7.

Duabus tamen ex causis integrum non videtur quod legitur ep. 19, 8 *aliquid et pro otio audendum est aut in ista sollicitudine procurationum et deinde urbanorum officiorum senescendum in tumultu ac semper novis fluctibus.* Nam primum quidem per se displicet vox *senescendum* ad duplicem praepositionem *in* et antecedentem et sequentem relata, quo fit ut valde laedatur orationis elegantia. Accedit quod, ut Chatelainii conlatione docemur, ne legitur quidem in codice p *senescendum*, sed *senescente* a prima manu scriptum, a secunda, cui male cessit corrigendi voluntas, *senescere.* Duo ergo verba in unum confluxisse videntur, quorum prius, quod adhuc exstat, *senescente,* id est *senescenti* ad priora trahendum est et inserendum vocabulum melius congruens cum vocibus *fluctu* et *tumultibus.* Nihil vero certi cum enucleari possit, dubia coniectura usi *laborandum* aut tale aliquid intercidisse suspicamur.

Solum autem *ac* adhibitum est his locis:

ac penitus ep. 19, 3. *ac paene* di. VII 12, 2. *ac propemodum*

di. XI 14, 5. *ac prout* d. b. IV 32, 4. *ac procul* d. b. VI 30, 1. *ac subito* ep. 79, 13. *ac saepe* di. XII 15, 4. n. q. IV 13, 8. *ac sic* n. q. III 27, 10. (nusquam apud Senecam vocabulo in *c* litteram desinenti adfixum est *que*). *ac subinde* ep. 13, 13. ep. 53, 2. ep. 105, 7. n. q. II 59, 2. *ac deinde* ep. 45, 5. ep. 73, 16. di. X 15, 4. *ac nondum* ep. 20, 3. *ac mox* ep. 36, 10. *ac modo* ep. 72, 9. *ac rursus* n. q. VI 13, 6. *ac diutius* n. q. V 13, 3. *ac veluti* di. VIII 5, 5. d. b. VI 5, 4. *ac velut* n. q. I pr. 12.

Addendi porro sunt tres loci ubi exstat *atque ita*, quod eo quidem sensu dictum est, ut lectoris animum in sequentia intentum faciat, lud. 11, 5 *atque ita ex tabella recitavit*. At d. b. III 23, 5 *atque ita se traiecit* et di. VI 22, 6 *atque ita iussit lumen omne praecludi*, ubi a verbis personae cuiusdam oratio ad factum indicandum progreditur, idem valet quod *his verbis dictis*.

Non vero huic numero inserendum est *atque etiam*, quod male in textum recepit Haasius ep. 68, 3 ratus certe ita legi in codice p. Is vero ita locum exhibet *nunc ad illud revertor, quod suadere tibi coeperam, ut otium tuum ignotum sit. Non est quod inscribas tibi philosophiam aut qui etiam aliud proposito tuo nomen impone*. Sed verba *aut qui etiam* nihili esse elucet. *Atque etiam* ut improbemus praeter codicem faciunt verba *aliud proposito tuo nomen impone*, quorum vis talis non esse videtur quae apte conveniat cum pondere formulae *atque etiam*. Neglegendum ne illud quidem est nullo alio loco apud Senecam inveniri *atque etiam*. At verissimum puto esse quod iam in prioribus editionibus legitur *atque otium*. Repetit enim hoc loco auctor praeceptum illud quod iam primis epistulae verbis dedit *sed et ipsum otium absconde*, fas ergo non erat hic omitti gravissimum verbum. Immo quanta vi premendum fuerit adparet inde quod iterum iterumque eandem admonitionem Lucilio inculcat, ita ut paucis interpositis verbis denuo exhortetur *gloriari otio iners ambitio est* et § 5 *optimum itaque est non iactare otium suum*.

Iam excutiamus usum duorum verborum quae compo-

sita cum *que* compluribus locis leguntur nec tamen semper eodem sensu, *hodieque* dico et *quandoque*. Atque *hodieque* observavit Draegerus p. 43 raro inveniri eo significatu ut esset *hodie quoque* nec id ante Vellei tempora, non legi apud Livium atque posterioribus quoque temporibus rarissimo in usu esse, ita ut apud complures scriptores non exstet velut apud Tacitum. Quod recte dictum videtur; de meo adicere possum, frustra me in Curtii Rufi historia *hodieque* verbum quaesivisse. Sed quod laudatis perpaucis locis in quibus ita *hodieque* exhibeatur, addit Draegerus, cetera quae adferantur exempla huius usus aut fide egere aut novissimae aetatis esse, mihi quidem non probavit. Nam aliquotiens deprehendi hoc vocabulum apud Senecam. Semel tantum, ni fallor, idem est atque *et hodie* (und heute noch), *hodieque id exstat in auguralibus libris* ep. 108, 31; novum enim cum a voce *hodieque* incipiat enuntiatum, *que* hoc quidem loco ad coniungendas sententias adhibitum esse dicemus. Sed alia res est ceteris locis: *haec* (clementia) *hodieque praestat illi famam* d. cl. I 10, 2; vel si hoc quoque loco *que* coniunctioni inservire fingis, lege quod n. q. I pr. 3 scriptum est (cum disco an) *liceat illi hodieque decernere et ex lege fatorum aliquid derogare.* Ter praeterea in epistula 90 deprehenditur *non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murum?* § 16, *immo non aliis excogitata ista sunt quam quibus hodieque curantur* § 25, § 33 ubi Democritus invenisse dicitur *quemadmodum decoctus calculus in zmaragdum converteretur*, *qua hodieque coctura inventi lapides coctiles colorantur.* Sic Haasius futili codicis B lectione *hoc utiles* spreta ceterorum codicum vestigia secutus. Neque tamen ad integrum hoc modo restitutus est locus. Nam lapides antequam colorentur inveniri debere, non est quod expressis verbis dicatur. Non de lapidibus inventis, sed de cocturae inventione auctor disserere putandus est. Itaque hunc in modum restituendum suspicor *quo hodieque cocturae invento.* Non consentiunt codices E et B n. q. VII 25, 3, quo-

rum ille exhibet *multaeque hodie gentes sunt*, melius hic *multae hodieque g. s.*

Quandoque sex locis ita usurpatum est, ut sit idem quod *aliquando*:

profunda supra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exserent et in idem quandoque silentium abitura oblivioni resistent ep. 21, 5. *ut quandoque moriaris etiam invito positum est, ut cum voles in tua manu est* ep. 117, 22. *nec committam, ut possit quandoque dicere* d. b. II 14, 5. *ne sit quandoque velut in novo opere dura molitio* n. q. III 30, 1. (quos) *hasta praetoris infami lucro et quandoque suppuraturo exercet* di. X 12, 1. *stet licet... supra me quandoque erit* n. q. VI 2, 7.

Nec minus saepe coniunctionis temporalis vice fungitur, ut significet *quando*, *simulac*. Atque ab omni dubitatione absunt quae secuntur exempla tria:

ideo, quandoque ultimus dies venerit, non cunctabitur sapiens ire ad mortem certo gradu di. X 11, 2. *ergo quandoque placuere res novae mundo, sic in nos mare emittitur desuper, ut* n. q. III 28, 7. *quae non potest amare sincerus animus ac naturae suae memor levis ipse, expers et quandoque emissus fuerit, ad summa emicaturus* di. XII 11, 6. mendum quod in verbis *levis ipse expers* deprenditur, Madvigius ita sustulisse sibi visus est, ut scriberet *oneris ipse expers*. Magis tamen Goerenzii iudicium adridet *corporis* post *expers* inserentis, nisi quod male *et* ante *quandoque* eiecit.

Erunt fortasse quibus scrupulum moveant loci sequentes. *Quia vis eius invicta est, quandoque lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura* d. I. IV 8, 1. Nos vero *invicta* et *recessura* ἀσυνδέτως posita esse statuemus. Alter locus est di. VII 20, 5 ubi seriem admonitionum, quae inde a § 3 nulla interposita particula sese excipiunt, claudunt verba haec *quandoque aut natura spiritum repetet aut ratio dimittet testatus exibo bonam me conscientiam amasse.* Quo loco si quis iudicet postremum membrum particula *que* cum prioribus coniungi, ego certe non adstipulabor.

Et ab his et ab illis prius indicatis exemplis differunt duo haec:

discendumque nihil interesse quando patiaris, quod quandoque patiendum est ep. 101, 15.

facis quod *q u a n d o q u e* *faciendum est* n. q. VI 32, 6.

Falsum quidem non erit iudicium eius qui *quandoque* de futuro tempore hic usurpatum neque aliud esse dicat quam *aliquando*. Idem tamen concedet, opinor, discrimen interesse inter hos locos et illos priores. Non enim sola temporis significatio inest voci, sed accedit adfirmatio quaedam, qua fit ut *quandoque* haud ita procul absit ab *utique*.

Quandoque pro *quandocunque* dictum iudices n. q. VI 2, 7 *necesse est mori ubicunque*, *q u a n d o q u e*. Duae tamen causae dubitantem me faciunt de veritate scripturae. Nam primum quidem unius tantum codicis E auctoritate adiuvamur, cum B sine sensu exhibeat *necesse est maiori quam*; tum in ipsa adverbiorum coniunctorum forma inest offensio. Aut enim scribendum erat *ubicunque quandocunque* aut *ubique quandoque*.

Invicem sibi respondent *quandoque-quandoque* aeque valentia ac *modo-modo* vel potius respondere sibi videntur n. q. I 1, 15 *q u a n d o q u e* *ergo fiunt trabes*, *q u a n d o q u e* *clipei*. Altero enim loco consentientibus E et B traditum est *quando*.

Unus igitur restat locus qui plane *quandoque* pro *et quando* exhibere videatur. Nititur vero non auctoritate codicum, sed coniectura Gertzii. Est ille d. b. IV 9, 3 ubi in codice N ita legitur *itaque cum eligo*, *cui dem beneficium*, *id ago*, *ut* *q u a n d o q u e* *beneficium sit*. Recte quidem observat in adnotatione, *quandoque* hoc loco sive pro *aliquando* sive pro *interdum* accipiatur ferri nequire. Postponit igitur verbis *cui dem beneficium*, ut sit *et quando*. Sed cum abhorreat hic usus a sermone Annaeano, illa verborum transpositio nobis non probatur. Accedit quod verba *quia si turpi datur nec honestum esse potest nec beneficium* de persona tantum in antecedentibus scriptorem cogitasse docent. Nihil ergo mutandum iudico respectu habito illorum locorum supra laudatorum, ubi *quandoque* ad *utique* vocis sensum prope accedere vidimus nec quisquam talem notionem huic loco valde aptam esse infitias ibit. Similis naturae est etiam unicus Quintili-

ani locus, ubi positum est *quandoque*, VII 8, 6 *non est scriptum... ut* *q u a n d o q u e* *rapta optet,* nec laudandus est Halmius quod Badio auctore *quandoque* mutavit in *quandocunque.*

Quam nondum attigimus particulae *atque* vim comparativam, quam induit composita cum notionibus *aeque aliter pariter par alius idem*, nunc subiungamus. Atque praeter paucos locos ubi *idem* et *atque* conectantur, nullis exemplis Annaeanis comprobari hunc usum nec ullum inveniri locum ubi adverbium *aeque* sequatur *atque* particula semperque *quam* positum esse, Rauschningius dicit in dissertatione sua de latinitate Senecae p. 53. Erravit tamen cum tam severae regulae adstrinxit Senecam.

a e q u e a c ergo positum est di. XII 13, 8 *sacrarum ruinae...., quas religiosi* *a e q u e a c* *stantes adorant.*

Praeterea quoquo modo sananda erunt verba *ut quaeque ac sibi quisque fecisse se negat* n. q. I 16, 3, recipiendum tamen videtur esse e codice E *aeque ac.*

Contra quibus in maiore pretio est codex E non dubitabunt scribere *est enim illi* *a e q u e* *sursum iter* *q u a m* *deorsum* n. q. II 24, 1. Sed antequam ad liquidum perducta est quaestio cuinam codici in n. q. maior sit tribuenda auctoritas, non omnino codicis B scripturam *atque* respuendam duco.

A e q u e u t est in corruptissimo loco ep. 104, 11, ubi codicis B lectio omni sensu carens *quicquid te delectat aeque vide ut videres dum vireret uter* hunc in modum correcta legitur apud Haasium *quicquid te delectat aeque vide ut flores virides: dum virent, utere.* Sed nescio an melius mutetur ita *vide ut vides flores: dum virent uteris.* Nam primum *vides flores* cum facilius e *videres* oritur quam quod Haasius posuit, tum sententiae sufficit; deinde *uteris* aptius iudico quam *utere,* quia floribus illis quemadmodum utatur non necesse erat praecipi, praesertim cum exempli loco ponantur. Postremo graviore interpunctione adhibita ita scribendum iudico *uteris. alium alio die casus excutiet, sed* cum verba *alium alio die*

casus excutiet non ad flores respiciant, sed ad eos quos amisisse gravissimum damnum habetur.

Aliter ac di. IX 17, 1 legis *deprehendi aliter ac solet metuit.*

N. q. II 59, 5 de impetu eorum qui in summam desperationem adacti sunt, hanc profert sententiam Seneca *longeque violentius semper ex necessitate quam ex virtute confligitur* (sic bene Hauptius pro *conruitur*), *maiora aut certe paria conatur animus magnus ac perditus.* Unum vitium sustulit Hauptius, alterum ut tollatur reliquum est, ut duorum adiectivorum sedibus mutatis scribatur *perditus ac magnus.* ep. 90, 40 *par erat alterius ac sui cura.*

Idem ac ego quidem semel tantum legi *idem accidere in rebus civilibus ac domesticis scias* di. V 7, 1.

Haud raro Seneca in adverbiorum locum praepositionem *ex* cum neutro adiectivi coniunctam substituit, ut *ex aequo* pro *aeque.* Itaque scripsit *ex aequo magnus ac vehemens* ep. 66, 6. *ex aequo boni ac mali ferunt* d. b. IV 28, 2. Quos locos Rauschningius non debuit omittere.

Modo cum *ac* modo cum *que* compositum legis adverbium *pariter*, atque illud prius quidem his locis: *sua fata p. ac publica* ep. 94, 65. *pueris p. ac feminis* di. IV 31, 6. *nobilia p. atque adornata* n. q. III 29, 9. *humana p. ac divina* di. I 5, 8. contra *que*: *asperis blandisq. p. invictus* ep. 66, 6. *divinis humanisq. rebus p. aequus* ep. 120, 13. *in perniciem alienam suamq. p. exsultaturam* d. cl. I 1, 1. *infestam p. invisamq.* di. IV 35, 5. Denique ep. 24, 18 *bona p. malaq.* contra regulam Zumptianam (§ 340), qua *ac* vel *ut* poni iubet ubi duo illa verba non iuxta posita sint.

Particulam *et* cum *pariter* coniunctam non memini me legisse. Omnes autem tres particulas atque etiam conlationem *et-et* admittit vox *simul.*

que habes ep. 8, 6. ep. 59, 7. ep. 92, 3. ep. 95, 10. ep. 95, 70. ep. 108, 16. d. b. I 3, 3. di. XII 7, 6. n. q. VI 15. *ac* ep. 57, 3. ep. 90, 25. di. V 3, 3. di. IX 16, 1. di. XI 9, 5. *atque* di. VI 13, 4. *et* ep. 84, 12. di. IV 25, 3. di. V. 7, 2. d.

cl. I 11, 4. n. q. II 26, 1. *et-et* ep. 117, 29. ep. 121, 23. d. b. VI 26, 1. n. q. I 14, 4. n. q. I 16, 7. (n. q. II 54, 2) n. q. II 58, 1. n. q. III 27, 7. n. q. VII 20, 1.

Quibus locis omnibus singulae notiones inter se opponuntur, tota enuntiata uno loco d. b. III 26, 2 *quod factum simul et Maro...... notavit, et servus eius, cui nectebantur insidiae, ei ebrio anulum extraxit.*

VIII.

Pauca adnotanda sunt de usu particularum *que* et *atque* compositarum cum coniunctionibus. Occupavit enim fere totam hanc provinciam adnectendarum sententiarum a coniunctionibus incipientium particula *et.* Atque *que* coniunctioni *cum* adiecta est ep. 70, 19 *non est quod iudices hoc fieri nisi a Catone non posse......., cum vilissimae sortis homines ingenti inpetu in tutum evaserint, cumque commodo mori non licuisset nec ad arbitrium suum instrumenta mortis eligere, obvia quaeque rapuerunt.* Sed nimis ineleganter hanc orationem procedere nemo erit quin sentiat. Recte ergo ad mutationem confugisse Haasium iudicabimus. Nescio tamen an potius in altero quam in priore *cum* vitium latere putemus. Primum enim ipsum unicum *cumque* displicet, tum origo lectionis codicis p *cumque incommodo* facilius explicabitur, si olim *qui cum commodo* scriptum fuisse opinemur.

Tribus locis legitur *quodque,* sed ita ut alterum *quod* praecedat: *tibi indignum videbatur quod....... quodq.* di. II 1, 3. *iratus quod...... quodq.* di. III 20, 8. *malis nos implicat quod..... quodq.* di. VII 1, 3. Non vero repetitionis excusatione lenitur *quoque* pro *et ut eo* duobus locis adhibitum: *quoq. magis mireris* ep. 17, 7. *quoq. facilius obrepant* di. VI 21, 7 et *utque .... gratus est, ita* di. VI 25, 2.

Dictum est de *que,* progrediamur ad vocem *ac* atque incipiamus ab exemplo quod datum Senecae ab Haasio iterum auferendum est. Nusquam enim usus est coniunctione temporali *simulac,* sed ubique simplicem formam *simul* conspicimus, i. e. ep. 76, 31. di. III 1, 5. di. III 1, 6. di. V 41, 3

di. X 3, 1. d. b. V 12, 1. d. cl. I 14, 1. n. q. VI 19, 2. *Simul atque* autem legimus in Haasii editione ep. 70, 5 *sed simul atque occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittit se*, ubi e codicis p verbis *sit simulata* restituendum videtur *sed si multa.*

Iterum comparandi sensu instructum est *ac* in formula *perinde ac si*, quae praesto est d. b. III 12, 4 *utrum uno munere ad patientiam iniuriarum omnium adstringor, an perinde erit ac si gratiam rettulerim.* In conclusionem potius transit *proinde ac si.* Recte ergo cum sola comparatio adpareret ep. 86, 13 scripserunt editores *dares nunc Buccillum: perinde esset ac si hircum oleret* contra fidem codicum P et b, quibus in hac epistularum parte nitimur. Atque eandem eadem de causa scripturam traditis verbis *proinde ac si* praefert Gertzius d. b. VI 4, 3 *eo me loco posuit, ut proinde liber adversus eum essem, ac si nihil accepissem. Pro eo ac*, quod Draegero exceptis tribus exemplis quae sumpsit ex Ciceronis operibus, uno tantum Digestorum loco innotuit, etiam Annaeano exemplo uno inlustratur *pro eo est ac si omnes idem sentiant* ep. 102, 12.

His accedunt *ac nisi magna moderatione temperentur* ep. 23, 6 et *ac prout occasio et rei publicae meae facultas tulit.* d. b. IV 32, 4.

IX.

Transeo ad particulas copulativas loco disiunctivarum positas. Di. IV 5, 4 haec leguntur *Hannibalem aiunt dixisse, cum fossam sanguine humano plenam vidisset: o formosum spectaculum! Quanto pulchrius illi visum esset, si flumen aliquod lacumque conplesset.* Mira inest his verbis gradatio, tamen praepropere *lacumque* in suspicionem vocavit Gertzius. Plures enim locos invenisse nobis videmur in quibus aliqua scriptoris potius neglegentia quam librariorum culpa *que* sedem *ve* voculae occupavit. Eiusdem profecto generis est quod legitur ep. 104, 18 *fregit aliquis crus aut extorsit articulum: non vehiculum navemque conscendit, sed advocat medicum, ut fracta pars*

iungatur, ut luxata in locum reponatur. In inane hic abibunt verba, si ita ut dicta sunt accipis; valet *que* idem quod *ve* vel rectius *neque.* Similia porro haec sunt: *quomodo ergo significant* (fulmina) *nisi ideo mittuntur? quomodo aves non in hoc motae, ut nobis occurrerent, dextrum auspicium sinistrumque fecerunt.* n. q. II 32, 3. Haec quidem codicis E lectio est, quam iure in textum recepit Haasius Fickerto cum deteriore B *sinistrumve* scribente. Itemque *neque enim ille solus militat, qui in acie stat et cornu dextrum laevumque defendit, sed qui portas tuetur* di. IX 3, 5. Non optimo iure fortasse huic numero inseretur *in aere quoque non dextram laevamque premit partem* (cometes). *nulla est enim illi via, sed qua vena pabuli sui duxit, illa repit* n. q. VII 21, 2. At n. q. II 59, 6 repudiata codicis E scriptura *eodem* (ad mortem) *citius tardiusque veniendum est* et Fickertus et Haasius scripsere *tardiusve,* quod ne codicis B quidem fide ita defenditur, ut nihil dubitetur. Eum enim codicem qui exaravit librarius, *citius vel tardius* ante oculos habuisse inde suspicari licet, quod manus demum correctrix scripturam *citiusve tardius* mutavit in *citius tardiusve.* Sed ut maior honor habeatur codici E, respicias eam quae paulo ante in § 4 simili brevitate dicta est sententiam *iratis dis propitiisque moriendum est,* quae accurate loquenti ita fere pronuntianda erat: sive irati sunt di sive propitii, moriendum est utique. Iterum autem consentiunt inter se E et B n. q. III pr. 3 *hoc dicerem, si puer iuvenisque molirer* nec minus n. q. I 11, 2 *historici soles vocant et binos ternosque adparuisse memoriae tradunt.* Tamen erit fortasse, qui memor legis Bentleianae propositae ad Hor. epod. V 33, qua per *bis terque* frequentiam, per *bis terve* raritatem indicari docemur, hoc Senecae loco *binos ternosve* ut scribatur proponat. Nos vero, cum propter exemplorum inopiam nihil diiudicari possit de usu Annaeano, locum immutatum relinquemus. Re vera autem quadrat in illud praeceptum ep. 86, 13 *parum est sumere unguentum nisi bis die terque renovatur, ne evanescat in corpore* et di. III 17, 6 *post duorum triumve sanguinem occidere*

desinit. At ut quae de hoc genere dicenda sunt statim absolvam, particulam *ac* habes d. b. VII 9, 5 *nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.* Atque disiunctionis exemplum conspicitur n. q. III 28, 3 *deinde ubi litus bis vel ter prolatum est et pelagus in alieno constitit .... procurrit aestus*, ubi cum rhetorica inundatae terrae descriptione melius, ne dicam unice congruerit imago saepe promoti litoris. Denique dissolutionis et satis quidem durae exemplum Gertzius intulit primae N codicis manui obsecutus d. b. IV 15, 3 *nolo* (causam eius agere), *sed quid faciam? iam illi semel iterum adfui.* volgo *iterumque* legitur.

Sed ut hac numerorum ratione indicata ad propositum revertamur, duos locos adponam qui doceant liberum saepe scriptori arbitrium esse utrum disiunctiva particula an copulativa utatur: (sic hoc tempestatis signum est) *quomodo aequinoctium in calorem frigusque flectentis anni, quomodo illa, quae Chaldaei canunt, quid stella nascentibus triste laetumve constituat* n. q. VII 28, 2. *non ideo quicquam inter illos puerosque interesse quis dixerit, quod illis talorum nucumve et aeris minuti avaritia est, his auri argentique et urbium* di. II 12, 2. Eodem iure particula disiunctiva quo copulativa uti licuit his locis:

dum nemo suadet dissuadetq. d. b. VI 30, 5. *illud suadet dissuadetq.* n. q. II 39, 3. *qui servati punitiq. erunt* d. cl. I 21, 4. *quicquid timemus optamusq.* ep. 41, 5. *disciplina metuq.* ep. 97, 8. *currentem luctantemq.* ep. 117, 26. *quae nobis nocent prosuntq.* di, IV 27, 2. *de pace belloq. censet* di. IX 3, 3. *singula propter quae laeti ac tristes sumus* di. IX 15, 4. *quae a nobis indifferentia ac media dicuntur* ep. 82, 14. et 117, 9.

Unum restat exemplorum genus non ita leviter perstringendum, cum rarior ea esse videatur copulandi ratio disiunctionis loco adhibita. Nam si rem proponimus quae prout condicio rerum ferat aut hoc aut illo modo constituta sit, quis non hanc diversitatem particula disiunctiva indicabit? Legimus d. cl. I 1, 9 *cetera enim bona pro portione fortunae suae quisque sentit aut exspectat maiora minoraque, ex clemen-*

tia omnes idem sperant. At accurate cogitanti et ad severas eloquendi leges se adstringenti *maiora minorave* dicendum erat. Alterum exemplum praebeo ep. 89, 15 *tunc ergo vita concors sibi est, ubi actio non destituit inpetum, inpetus ex dignitate cuiusque rei concipitur, proinde remissus acriorque prout illa digna est peti.* Atque eiusdem condicionis sunt *ampliores minoresque prout* di. I 1, 4. *remissae claraeque prout* n. q. II 6, 3. *nec remittitur incitaturque prout* n. q. IV 2, 23. Huc pertinere praeterea videtur di. III 9, 1 quem locum me invito nuper mutavit Gertzius Madvigii adiutus consilio. Verba Senecae sunt haec *quotiens inpetu opus est non irascitur* (virtus), *sed exsurgit et in quantum putavit opus esse concitatur remittiturque, non aliter quam quae tormentis exprimuntur tela in potestate mittentis sunt in quantum torqueantur.* Obsecundes quidem primo adspectu sententiae Gertzii mirantis hic de remissione virtutis mentionem fieri, tamen diligentius excussis verbis nihil in quo offendas inveneris. Nam eodem modo de maiore vel minore impetu quamvis non expressis verbis dictum est in simili illo de iaculis sumpto, quae pro arbitrio militis remisse torta in vicino decidunt, acrius missa remota petunt. Ipsum deinde verbum a Gertzio substitutum *enititurque* displicet, quod languet post *concitatur* et quod ita virtus dicitur tamquam magno labore exsurgere.

Eodem modo particula *ac* usurpata legitur n. q. VII 23, 2 *minor enim esset ac maior prout plenius aleretur ac malignius* ignis: *ac malignius* nos e codice E sumpsimus invitis Fickerto et Haasio, qui cum B *aut malignius* scripserunt. Sed *ac* quod in illo comparationis membro sine ulla offensa est, cur ab hoc relegandum censeamus non video. Alterum autem exemplum non legitur, qualem nunc quidem in manibus habemus Annaeum, restituendum vero videtur n. q. V 8, 3, qui locus interpretaturo et emendaturo multas exhibet difficultates, quae omnes fore ut expediantur fere despero. Agitur ergo hoc loco de ventis, qui a Graecis ἐγκόλπιαι vocantur, qui *si violentiores flavere, circa medium tamen diem relanguescunt nec usquam* (sic E, B *unquam*) *usque*

in meridiem aura producitur. Iam in his sunt quae progredientem morentur. Praeferemus enim codicis B scripturam *unquam*, quia eis quae hoc loco de spatio potissimum ventorum dicuntur, aptior est temporis quam loci designatio. Tum nonne hoc sensu caret, eos ventos non usque in meridiem produci qui circa medium diem relanguescere dicantur? Recte *citra medium* Buechelerus scribendum coniecit. Aliud mendum latet in sequentibus verbis *alia autem inbecillior ac brevior est prout valentioribus minoribusve conlecta causis est*, quibus succurrere conatus est Haasius *aliâ* post *alia autem* inserendo. Remanet vero etiamnum vitium. Quis enim erit qui cum de tempore et spatio ventorum disserat, alium ab alio brevitate differre dicat? Imperfecta ergo est oratio nec in qua priora posterioribus respondeant, quam hoc fere modo explebimus: alia autem alia longior ac brevior est prout. Nihil vero certi cum ex traditis verbis enucleare mihi contigerit, inani hariolatione abstineo.

Dissolutionis exemplum exhibet codex N d. b. III 10, 3 his verbis *quam deinde poenam ingratis constituimus? unam omnibus, cum disparia beneficia sint? inaequalem et pro cuiusque beneficio maiorem minorem*, ubi volgo his verbis *aut* interponitur.

At plerumque in huiusmodi enuntiatis apud Senecam particulas disiunctivas poni, e numero exemplorum manifestum fit:

magis minusve aestuant n. q. III 26, 8. *prout aequum iniquumve sidus incessit* di. VI 18, 3. *stellae ..... cursu suo occursuve modo frigora, modo imbres..... movent* n. q. II 11, 2. *vegeta aut demissa prout* d. cl. II 2, 1. *brevis aut longa prout* n. q. VI 28. 3. *sublimis aut humilis, prout ille se submisit aut sustulit* n. q. I 3, 11. *prout aut, ita aut aut* n. q. VII 11, 3. *maiores minoresve ignes, prout plus aut minus virium* n. q. I 1, 9. *proinde aut aut, prout aut* n. q. IV 2, 2. *proinde maiora aut minora, prout aut* d. b. III 12, 2. *in uno aut altero* d. b. VII 1, 4. *unum aut alterum* d. cl. I 26, 4. *uno die alterove* di. VI 7, 2.

Identidem ergo *que* vicem disiunctivarum particularum obtinet et plerumque quidem in verbis contrario sensu prae-

ditis, in quibus frequens apud Senecam haec copulatio est, rara per *ac*, nulla per *atque;* nam d. b. IV 12, 3 qui Nazariani lectionem *atque* defenderet, nemo inventus est. Sine dubio *Tusculanum aut Tiburtinum* scribendum est. Cetera vero ibi multam movent dubitationem, de quibus quid iudicemus cum disputationis cursu in hunc locum delati simus, liceat proferre. Docet igitur Seneca beneficia danda esse remoto utilitatis respectu, quin etiam damna ac pericula subeunda, ut beneficia dare possimus. Tum ita progreditur *Nemo Tusculanum aut Tiburtinum paraturus salubritatis causa et aestivi secessus, quoto anno empturus sit disputat; cum erit tuendum est.* De verbis *quoto anno* veram sententiam protulisse videtur Gertzius. Postrema vero *cum erit tuendum est* nihili esse quisque videt. Nec minus re a abesse volgatam lectionem *cum emerit*, *tuendum est* idem Gertzius recte iudicavit, sed quam ipse incerta ut dicit hariolatione proponit emendationem *cui meret, id intuendum est* minime placet nec quemadmodum ea intellegenda sit nisi qui ipsius interpretationem legerit divinabit. Lux his adfulget ex prioribus. Ut enim in dandis beneficiis quid reddant quaerere non debemus, sic qui praedium salubritatis et recessus causa emit reditum praedii non curat; sed qui beneficium dat nihil aliud curat quam ut beneficium det, qui praedium emit solam salubritatem et recessum respicit. Atque huic sententiae inventum nostrum hoc *cur emat intuendum est* aptum putamus. Nec dubitarem adicere *curematin* a *cumerit* fere nihil nisi transpositis litteris differre, nisi vererer ne arcessitum hoc et artificiosum videretur.

Contra haud dubie *et* pro *aut*, quod praebet N, scribendum est d. b. VI 6, 1 *licet mihi inter se comparare, quantum profuerit mihi quisque et quantum nocuerit*, cum comparentur inter se una *et* altera res. Gertzius ad hunc locum '*malim et*'.

X.

De anaphorae figura quae vocatur vel ut latino utamur vocabulo de repetitione nunc locuturi sumus, siquidem hoc sub titulo quae secuntur exempla componere nobis licet. N. q. III 16, 1 igitur hanc legis sententiam *sed quare quidam fontes senis horis pleni senisque sicci sunt?* Adiectum est *que* iteratae voci *senis* propter ipsam repetitionem. Ea enim est vis particulae illius ut similia coniungat. Nec est quod mihi obicias scriptorem loqui de diverso fontium statu, similis enim vel potius par alter alteri est temporis spatio. Attamen hoc loco non in arbitrio scriptoris positum erat, utrum vocabulum repeteret necne, ipsa res poposcit. Eadem vero necessitas parti eorum exemplorum abest, quae supra in conspectu posuimus, ubi de pronominibus disputatum est. Vidimus illic in repetitione pronominis relativi *que* positum, atque in exemplo quod exstat n. q. VI 1, 10 *istos qui Campaniae renuntiaverunt quique post hunc casum emigraverunt* ii, qui migrationem faciunt, re quidem iidem sunt atque illi qui Campaniae renuntiant, verba autem ita comparata sunt, ut facile credas de diversis hominibus scriptorem loqui. In hunc autem errorem quominus incidamus prohibemur *que* particula, qua artior efficitur sententiarum copulatio. Atque huius notae exempla apud Senecam, cum non is sit scriptor qui brevitatis curam agat, plura invenies. Interdum autem diversitate verborum e quibus singula membra pendent repetere cogitur scriptor sive eandem sive aliam pronominis formam, ut *cuius iam res agebatur cuiusque maxime intererat* di. VI 15, 2 aut *qui colant quibusque non placeat* d. b. IV 1, 2. Ut in his enuntiatis utrique membro suum est verbum finitum, ita etiam in his quae secuntur exemplis:

quantus-quantusq. di. I 2, 4. di. V 3, 2. *quod-quodq.* di. II 1, 3. di. III 20, 8. di. VII 1, 3. *quantus-quantoq.* di. VII 1, 1. *tantus-tantoq.* n. q. III 18, 3. *quam-quantumq.* n. q. VI 32, 3. *quanto-quantoq.* d. b. I 15, 4. d. cl. I 5, 2. *qualis-qualisq.* di. XI 18, 8. *quam-quamq.* d. b. V 17, 1. di. V 30, 2. n. q. IV pr. 22. *alia fortuna aliterq. mirabilis* di. VI 18, 4.

Sequatur id genus quo imprimis hic *que* copulae usus inlustratur quodque cum oratoria dicendi ratione maxime convenit. Ut enim maiore vi pronuntietur sententia, fieri solet ut adiectivum aliquod aut adverbium aut alia vox quae eodem iure ad duo vocabula pertineat, utrique detur; quod inlustrent hi variis modis loci:

Geminatum adiectivum *omnis* legis locis his: *omnibus locis omnibusq. momentis* ep. 30, 16. di. VI 7, 4. di. IX 17, 6. di. XI 16, 5. di. XII 11, 7. n. q. II 59, 2. n. q. IV 2, 27. *circa-circaq.* d. cl. II 4, 4. *deposito-depositoq.* di. VIII 7, 1. *quam-quamq.* d. b. III 38, 2. *tam-tamq.* ep. 98, 10. *eo-eoq.* d. b. III 19, 4. *eadem-eademq.* d. b. III 28, 1. *quantas vires quamq. integras* di. V 1, 1. *tam multa tantoq. se ipsa maiora* n. q. VI 16, 3. Huc praeterea pertinent: ep. 75, 15. ep. 80, 8. ep. 85, 22. ep. 89, 20. ep. 90, 19. ep. 90, 28. ep. 95, 12. ep. 95, 30. d. b. II 17, 6. d. b. VI 23, 4. di. I 4, 15. di. VI 18, 6. di. VII 26, 5. di. XI 11, 6. di. XI 12, 2. di. XII 7. 9. n. q. I 5, 2. n. q. III 15, 8. n. q. VI 30, 4. n. q. VII 32, 3.

Nec tamen necesse est semper repetitae voculae particulam adnecti, adiungitur alii verbo ep. 91, 6 *inbecillitatis nostrae solacium rerumque nostrarum. Atque (ac)* autem in huiusmodi enuntiatis perraro admittitur *summa diligentia ac summa subtilitate* ep. 95, 61. *tam diu ac tam fideliter* di. XI 8, 2. *idem ius atque eadem potestas* di. VII 26, 4.

Ea vero exempla ad quae nunc transibimus, genere quidem cum prioribus consentiunt, specie non item. Nam repetitio illa fere posita erat in arte scribendi, haec oritur e natura et condicione notionum per *que* compositarum. Ac primum quidem, ut a rarioribus incipiamus, ea indicentur in quibus fit repetitio verbi, cuius generis plura supra iam dedimus, addantur hic pauca alia:

non pudet homines .... bella gerere gerendaq. liberis tradere ep. 95, 31. *qui virtutes alicuius pares suis amat amandasq. invicem praestat* ep. 109, 10. *Romanus sermo magis se circumspicit et aestimat praebetq. aestimandum* ep. 40, 11. *gaudemus siquid invasimus invadendiq. alios* (sic Hauptius pro *ali-*

quos) spes vana delusit ep. 74, 9. *necesse est aera onerari oneratumq. incumbere* n. q. V 14, 3.

Nominum autem exempla cum non omnia eiusdem sint condicionis, satius videtur non uno loco poni, sed in diversa genera digeri. Proferantur ergo primum, ubi persona personae accedit:

duces ducumq. progeniem di. XI 11, 4. *Scipiones Scipionumq. matres* di. VI 16, 5. *senatus populusq. senatu similis* di. IX 5, 6. *regibus regesq. simulantibus* d. b. VI 34, 1. *deos deorumq. aemulos.* ep. 59, 18.

Nec est quod dubitemus huic generi inserere, etiamsi non eiusdem nominis fit repetitio, hos locos:

occupationes divitum concursationesq. ad divitias euntium ep. 17, 9. deinde *sapiens adfectatorq. sapientiae* di. II 19, 3 et *sapiens adsectatorq. sapientiae* ep. 65, 18.

Utroque hoc loco, ut verba docent, perfectus ille vir qui ad arcem sapientiae iam pervenit, opponitur ei qui consilio quidem et voluntate par priori, nondum tamen in summum gradum adscendit, atque hunc alterum qui *adfectatorem sapientiae* vocaverit, apto nomine utetur. Idem autem de voce *adsectator* non iudico, immo dubito hoc quidem loco de veritate eius, licet et hic codicum auctoritate defendatur, et bis *adsectator sapientiae* legatur apud Plinium, *patris cuiusdam Philini adsectatoris sapientiae* VIII 17, 21 et *Sextius e Romanis sapientiae adsectatoribus* XVIII 28, 68. Sed utroque loco non de eo loquitur auctor qui omnibus viribus ad sapientiam tendit, sed de eo qui in philosophiae studio versatur, ita ut apud Plinium propriam vim suam obtineat vox *adsectator*, solet enim ea significari qui comitem se praebet alicui, quare utrumque verbum apte coniunctum legis apud ipsum Senecam *adsectator comesque* di. IX 1, 8 similiterque apud Cic. pro Balbo 27, 62 *cum comitatu adsectatoribusque.* Atque natura verbi eo fert, ut componatur cum personis, cum rebus compositum praeter hos Plinii et illum Senecae locum non inveni; nam apud eundem Plinium XXIX 1, 5 inter verba *eloquentiae adsectator* recte distinctionis signum posuit Ad. Kiesslingius. Meliore ergo iure si vim verbi

attendas, ipsum sapientem voces adsectatorem sapientiae quam imperfectum adhuc et discentem. Contra qui aliquid efficere vel sibi parare conatur, adfectator recte dicetur, velut apud Quintilianum *adfectator regni* V 13, 24. *adfectatores libertatis* VI 2, 16. *risus adfectator* VI 3, 3. Nescio ergo an ep. 65 quoque scribendum sit *adfectatorque sapientiae*.

Sed redeamus ad propositum. Interdum res aliqua commemoratur et deinde persona cui aliquid rationis est cum illa re, ut

anno temperantiq. annum deo ep. 73, 6. *mundus rectorq. universi deus* di. VII 8, 4. *virtuti studiosoq. virtutis* di. IX 4, 1. *medicinam ipsumq. medentem* d. cl. I 17, 1. *inventa sapientiae inventoresq.* ep. 64, 7.

Rem deinde sequitur mentio rerum ad eam pertinentium hisce locis:

virtutes ususq. virtutum ep. 95, 58. *e terra terrenisq. omnibus pars humida efflatur* n. q. II 54, 1. *corporis rerumq. corpus adficientium varietas* di. VII 15, 4. *levitatem casus rerumq. casum sequentium* ep. 98 4. *corporis sui pertinentiumq. ad id curiosa non anxie* (mens). Quibus locis accedit n. q. I 2, 7.

Agitur ibi de coronis quae circa sidera formantur. Atque in explicanda causa cur turbato aere non oriantur, simili quodam utitur scriptor. Lapidibus enim dicit in aquam stantem et clausam inmissis circulos nasci, ubi vero currat aqua et in fuga sit disturbari. Tum ita pergit *idem ergo in aere evenit, ut ille qui manet, possit figurari; at ille qui rapitur et currit, non dat sui facultatem et omnem ictum venientemque formam exturbat.* Sic quidem e codice B edidit Fickertus. At plura sunt quae in hac scriptura offendant. Nam primum quidem verba *venientemque formam*, non addito unde veniat illa forma, displicent. Tum vox *exturbat* rei parum apta videtur; accedit quod non verisimile est scriptorem, verborum minime inopem, tam exiguo spatio intermisso idem turbandi verbum repetisse. Atque ipse Fickertus veritate huius verbi diffisus proposuit ut scriberetur *exstinguit*, quod nimis recedit a traditis litteris, et in *formam* tantam, non aeque in *ictum* quadrat. Adiuvamur aliquantulum

codice E, in quo post verbum *formam* additum est *ex eo.* Non vero exstat in eodem codice, quod quidem enotavit Fickertus, *trahatur.* Erravit is vir et in errorem iniecit Haasium, qui ex prava scriptura pravam effecit coniecturam *travehatur.* Nam ut docemur Larischii nova conlatione primi n. q. libri, proposita in programmate Saganensi a. 1870, *trahat* illius codicis est lectio, quam ex *turbat* natam esse persuadere mihi non possum. Puto olim scriptum fuisse *detrectat.* Hoc autem ne omittam, cum E et B ante exhibeant *dat*, indicativum modum non temptabimus inoffensi constructionis mutatione.

Supra iam attigimus descripto di. VII 3, 3 ea exempla ubi in locum repetiti nominis pronomen substitutum est. Atque supervacuum erit omnia huius notae exempla ad verbum referre, pauca satisfacient: *parentes liberique eorum* d. cl. I 8, 7. *primi mortalium quique ex his geniti* ep. 90, 4. Persona autem atque res ad eam pertinens coniunctae sunt *praeceptores eorumque beneficia* d. b. III 3, 4. res et res *condicionem maris cursusque eius* di. XII 20, 2. Similia sunt: ep. 95, 43. ep. 110, 9. d. b. IV 7, 1. d. b. V 10, 1. di. V 34, 1. di. VII 20, 6. di. XI 9, 7. di. XII 20, 2.

Rarissime autem *ac* in talibus sententiis conlocatur. Atque unum tantum exemplum legi quod plane cum antecedentibus congrueret *terrae ac terris vicina* n. q. I pr. 14. Cetera vero paulum iam ab hac formatione deflectunt *miserrimus ac miserrima omnia efficiens* ep. 101, 10. *Cambyses furiosus ac furore feliciter usus* ep. 86, 1. quibus adstruas ep. 92, 30. ep. 102, 15. *laetitia alta atque ex alto veniens* di. VII 4, 4.

XI.

Sententiae vel notiones contrariae de quibus idem valet, ex aequo saepenumero ponuntur per *et-et.* Interdum hoc etiam per *que-que* fieri supra vidimus, artissime tamen circumscriptus hic usus praeter eos locos ubi oratio per duplex enuntiatum relativum progreditur, non invenitur. Rarius

autem est meritoque a viris doctis, Madvigium dico et Handium, reícitur *et-que*, quod Seneca, si Fickerto credimus, adhibuit consentientibus B et E n. q. IV 2, 22 *cum resederint* (etesiae), *et pelagus conquiescit minorque descendenti inde vis Nilo est.* Sed lis est de codice E, cuius in Herelii excerptis haec fertur scriptura *cum resederit pelagus conquiescit.* Scripsit haud dubie Seneca *cum resederint, pelagus conquiescit. Et-ac* ab eodem Handio II p. 529 sermoni latino abiudicatur. Nam duos qui ei innotuerant locos ipse repudiat, Quint. XII 10, 64 *et copia verborum atque inpetu*, ubi *et* delendum censet, et recte quidem cum ex priore versiculo male repetitum sit. Tum quae apud Diomedem legerat verba *et dignitas atque potestas*, ita nuper edidit Keilius p. 467, 32 *et dignitas et potestas* nulla adnotata discrepantia librorum. Adiecit his exemplis Draegerus p. 77 ut defenderet *et-ac* complura alia. Sed apud Cic. d. d. n. I 19, 50 *summa vero vis infinitatis et magna ac diligenti contemplatione dignissima est* male cepit *summa*, quae vox non adtributa sed praedicata accipienda est. Altero loco Suetoniano in v. Claud. 21 *utraque et tofina ac lignea* unde ortum sit *et* in propatulo est. Apud Tacitum dial. 14 post vocem *adfecisset* lacunam statuendam esse recte nuper Buechelerus in seminario nostro philologo censuit. Denique apud Lactantium V 9, 22 *videant et se ac suos ea quae diximus gerere* ex antecedente littera *et* natum esse ipse Draegerus suspicatus est. Sed videamus de loco Annaeano d. b. III 15, 3 *o turpem humani generis et fraudis ac nequitiae publicae confessionem.* Nam sic cum in plerisque codicibus tum in N fertur. Reddidit hanc lectionem Fickertus, dubitanter tamen *et* pro *ac* scribi maluit. Haasius autem et novissimus editor Gertzius delerunt *et.* Dicam quid ipse iudicem. *Et* et *ac* si pro *et-et* posita putares, ne hoc quidem intellegeretur, cur ita scriptor verba *fraus* et *nequitia* idem fere valentia distinxerit. Deleto autem *et* dupplici modo secerni possunt verba, *fraudis* enim aut trahendum est ad *humani generis*, quod improbo propter similitudinem epithetorum *humani generis* et *publicae*, aut artius coniungen-

dum cum *ac nequitiae*, in quo displicet commissura duorum diversae rationis genetivorum *humani generis* et *fraudis*. Aliam ergo corrigendi viam ingressus *et* intactum relinquo et mendum vocibus *humani generis* subesse suspicor. Desideratur enim verbum quo apertius et clarius illa res argentaria, de qua agitur, castigetur. Scribendum ergo censeo *inhumani fenoris*, quae coniectura firmari et comprobari videtur Senecae verbis quae leguntur in fine huius capitis *qui dat beneficia, deos imitatur, qui repetit, feneratores.*

XII.

Si plura nomina vel enuntiata eodem iure ponuntur, singulis copula aut non interponitur, quae est figura dissolutionis, aut interponitur, quod vocatur polysyndeton. Rara tamen in posteriore figura est coacervatio particularum *que* et *ac*, quarum illa ut rigore ac firmitate compaginis augeatur gravitas verborum, legitime ponitur in senatusconsultis et decretis. Utitur ergo hac sollemni dicendi ratione Dispiter in ludo c. 9, ubi sententiam fert de divo Claudio hunc in modum *cum — contingat longeque — antecellat sitque e republica, censeo ut — deus sit eamque rem ad metamorphosis Ovidii adiciendam.* Atque maiorem certe vim voluit inesse Seneca etiam praecepto quod dat de officio regentium et iudicantium di. III 6, 3 *ita legum praesidem civitatisque rectorem decet — ingenia curare, ut facienda suadeat cupiditatemque honesti et aequi conciliet animis faciatque vitiorum odium, pretium virtutum.* At deminuitur elegantia sermonis, si duplicatur particula ubi illa ratio non adparet, quale est quod legitur n. q. VI 1, 10 *istos qui Campaniae renuntiaverunt quique — emigraverunt negantque — ipsos accessuros,* ubi *negantque* iusto neglegentius dictum putes pro *et illos qui negant.* Sed rarissima sunt huius generis exempla neque *ac-ac* plus semel me legisse memini; est ita n. q. I 5, 12 *duro corpori ac stabili ac manenti.*

Diversam autem diversarum harum particularum vim tempore progrediente magis ac magis evanuisse ea res vel

maxime documento est, quod in serie complurium verborum singula sese non per *et*, sed diversis modis excipiunt.

Et primo quidem loco nominanda trium vocabulorum copulatio quae fit per *que-et*, *dicam* — *quemadmodum irascentem retineamus placemusque et ad sanitatem reducamus* di. V 5, 2. Secunda autem ab hoc usu videtur esse copulatio per *ac-et*, velut *splendidis uti ac sonantibus et poeticis* ep. 114, 14. Frequens etiam est usus particularum *et-que*, *trans Hadriam et Ionium Aegaeumque* ep. 89, 20. Saepius vero ad verba copulanda quam nomina adhibitum vidi *et-ac*, *erras et ageris ac locum ex loco mutas* ep. 28, 5. Minore tamen exemplorum numero probata sunt *que-atque* (*ac*) et *atque* (*ac*) *-que*, qualia sunt *praetextam facesque ac tribunal* di. II 12, 2. et *Carthaginis ac Numantiae Corinthique cinerem* di. XI 1, 2 ac ne tertiam desideres particulam, his trium urbium nominibus adiectum legis *et si quid altius cecidit.* Uno loco addito qui quam late pateat haec ratio ostendat, finem faciam. Quinque enim verba variatis copulis componuntur n. q. V 2 *necesse est alia aliis incidant et inpellant ac repellantur inplicenturque et conprimantur.*

Adiectum secundum vocabulum per *que* ceteris per *et* coniunctis pluriens legi, velut *boni magistratus parentesque et praeceptores et iudices* di. IV 27, 3, *ac* autem ita usurpati unum exemplum tantum praesto mihi est *videbis caedes ac venena et-et-et-et-* di. III 2, 1.

Mixtura quaedam figurarum polysyndeti et asyndeti fit omissa particula in membris prioribus, addita postremo, quod tum maxime fieri solet, si ultima vox aut antecedentia omnia aut quae nondum nominata sunt complectitur idque proprium esse officium *que* particulae notum est. Supersedeo adferre exempla id tantum commemoraturus *que*, cum identidem adiectivis *ceteri* et *alius* adiciatur, in fine vocis *reliquus* non inveniri apud Senecam. Denique ab adhibenda particula *atque* in hoc genere Senecam quoque abstinuisse puto, nam quod ita constitutum esse exemplum videatur, aliter explicandum est. Legitur enim di. IV 19, 1 *nam cum*

elementa sint quattuor, ignis aquae aeris terrae, potestates pares his sunt, fervida frigida arida atque humida. Neque vero hic habes simplicem quattuor adiectivorum enumerationem, sed duplex par notionum contrariarum, quarum priores duae parum observata concinnitate sermonis copula carent.

XIII.

Ea denique exempla in quibus *que* quibusdam videtur in locum particulae adversativae atque consecutivae invasisse, quia fere aliena sunt a proposito nostro consulto in calce totius commentationis posuimus. Nobis non ita videtur, nam quid ad sermonem latinum, si illi vernacula lingua magis animum advertentes ad interiorem sententiarum contextum hanc rationem magis exprimi volunt? Sensus particulae semper par sibi est nec copulandi fines transgreditur. Morem tamen illis geram, ut videant Senecam quoque aliquotiens non ita studiosum fuisse accuratioris dictionis aut esse noluisse. Sententiam igitur negative expressam haud raro sequitur enuntiatum adfirmativum, ubi oppositionem quae inest duabus sententiis, particula *que* designari suspiceris. Cuius generis est *in carcere Socrates disputavit et exire — noluit remansitque* ep. 24, 4. Alia exempla invenies ep. 59, 9. ep. 74, 20. ep. 92, 31. di. V 20, 2. di. IX 14, 1. d. b. IV 1, 2. d. b. VII 7, 5. Differt autem ab his locis eo quod non praecedit negatio, quod legitur n. q. II 6, 1 *hunc* (aerem) *quidam ex distantibus corpusculis ut pulverem struunt plurimumque a vero recedunt.* Negari quidem non potest, speciem atque habitum horum locorum talem esse, qui in fraudem impellat animum nostrum. Nec tamen minus errare eum confitebimur qui *que* particulam copulativam pro adversativa esse putet quam illum qui conclusionis vim ei induat, quod ne Draegerus quidem falsum commentum esse negat. Itaque si huius quoque notae exempla indico, non id facio quia vere rem ita se habere putem, sed potius ut a falsa interpretatione ea vindicem. Suo ergo arbitrio utetur qui *que*

pro *ideoque* usurpatum accipit di. III 12, 5 *in armis obliviscitur* (ira) *Martem esse communem venitque in alienam potestatem, dum in sua non est.* Idem statuendum est d. cl. I 19, 3. d. b. III 27, 3. di. XI 17, 2.

Ad postremum per *que* sententias adiungi nihil novi designantes, sed explicantes priora verba nihil est quod miremur, cum ita tamquam communione sensus coniuncta vinciantur. Licet ergo duo tantum nunc depromere possim huius usus exempla, non tamen his eum coerceri puto. Nec credibile mihi videtur, quod Draegerus p. 42 testium silentio fretus significat, talia enuntiata non inveniri apud Ciceronem. Senecae quidem verba hoc modo accipienda sunt d. b. II 31, 2 *qui beneficium dat, quid proponit? prodesse ei, cui dat et voluptati esse. Si quod voluit effecit pervenitque ad me animus eius ac mutuo gaudio adfecit, tulit quod petiit* et ep. 63, 16 *si modo vera sapientium fama est recipitque nos locus aliquis.*

Tandem ad finem pervenimus iamdudum tibi exoptatum defesso ni fallor taedio ac labore. Fore ut multa male omissa, multa inutilia, multa falsa iudices, pro certo habeo. Atque adeo vereor ne omnia videantur futilia atque spernenda. Sin aliter contigerit, hac quidem in re valde me delectatum iri errore meo ingenue confiteor.

VITA.

Natus sum Johannes Hermannus Ludovicus Klammer Neomonasterii Holsatiae in oppido anno h. s. LIII die III mensis Februarii patre Friderico Hermanno Klammer matre Emilia e gente Salomon. Anno LVIII parentes Hamburgum commigrarunt, qua in urbe cum litterarum elementis imbutus essem, per septem annos discipulus fui gymnasii Johannei, cuius tunc dux erat vir incomparabilis Johannes Classen. Vere anni LXXIII maturitatis testimonio instructus Lipsiam me contuli ibique par quater sex menses commoratus almam hanc studiorum sedem adii. Docuerunt me viri clarissimi Curtius, Drobisch, Fritzsche, Hildebrand, Hirzel, Lange, Nobbe, Ritschl, Seydel, Voigt Lipsienses; Buecheler, R. Kekulé, Leo, J. B. Meyer, Schaefer, Usener Bonnenses. Ut in seminarium philologum reciperer Buecheleri et Useneri erga me benevolentia factum est. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt philologicis, epigraphicis, oscis, umbricis Buecheler, archaeologicis Kekulé. — Quos viros omnes optime de me meritos esse profiteor. Gratissimo vero animo semper colam memoriam Buecheleri, Useneri, Kekuléi, quos studiorum meorum adsidue et iudices mitissimos et adiutores saluberrimos habui.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. In recensendis naturalibus quaestionibus Senecae plurimi faciendus est codex Berolinensis (E).

2. Seneca ep. 89, 4 ita scripsit *Philosophia unde dicta sit adparet. ipso enim nomine fatetur quid amet. Sapientiam ita quidam finierunt, ut dicerent divinorum et humanorum scientiam.* (cod. B *quidam et sapientiam ita quidam.*)

3. idem ep. 94, 1. ita legendum *tamquam quis posset de parte suadere, nisi qui summam prius totius vitae complexus esset. Ariston Stoicus e contrario hanc partem levem existimat.*

4. idem nat. quaest. III 14, 3 nihili est *vasta maris in occulto via est* . scribatur *vis.*

5. Falsa est Draegeri sententia duos imperativos a Romanis ἀσυνδέτως componi pro regula statuentis.

6. Quintilian. IV 1, 8 ita legendum *quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos, imperitos* (A *imparatos*), *impares agentium contra ingeniis dixerimus.* (cf. XI 1, 21.)

7. Quae leguntur apud Quintilian. II 16, 5 verba haec *qui philosophorum nomine male utuntur*, ita corrigenda sunt ut eiciatur *male.*

8. Apollonius Rhodius IV 1410 ita scripsisse videtur τὰς δέ σφε παρηγορέεσκε λιτῇσιν (cf. III 741 τὴν δέ μιν).

9. Non recte praecipit Kruegerus (griech. Sprachlehre II 51, 1, 12) reflexive adhibitum esse μιν in formula homerica τῷ μιν ἐεισάμενος.

10. ἑῆος in carminibus homericis est forma Aristarchea . scripsit locis omnibus Zenodotus ἑοῖο (*Α* 393 *O* 138 *T* 342 *Ω* 550 *Ω* 422 ξ 505 *o* 450).

11. Non omisit auctor libelli περὶ ὕψους accuratam adfectuum tractationem.

12. Idem scriptor cum octo locis φύσει rem aliquam constitutam esse dicat, ter φύσει πως, absonum φυσικῶς πως (p. 58, 5 ed. Jahn.) in φύσει πως mutandum censeo.

13. Inscriptio laminae plumbeae osca nuper inventa num sit devotio non recte dubitat Bréal.





